



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.



DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
F I D E ,
Quam
IN ALMA VIADRINA
Aspirante Summo Numine,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. CAROLO FRIDERICO,
DUCE WURTEMBERGIAE, TECCIAE, ET IN SILESIA OELS-
NAE, COMITE MONTISBELGARDI, DYNASTA HEI-
DENHEIMII, STERNBERGAE, ET MEDZI-
BORÆ, &c. &c.

P R A E S I D E
DN. BARTH. HOLTZFUSS,
SS. THEOL. DOCT. & PROF. ORDIN.
Fautore ac Preceptore suo ad Cineres usq; colendo,
D. XIII. Novembr. An. M DCC IV.
Placido Eruditorum Examini fistit

WILHELMUS HERMANNUS GRAVIUS,
SS. Theol. Cultor, Bütaviensis.

*****:
FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

DISTRIBUTION THEOREM

三〇

EIDE

四百〇

АМЕРИКАНСКАЯ ИСТОРИЯ

13
1900-01-09, 1900-01-10

OMEGA MAGNETIC INDUCTION

СИМВОЛЫ ПРИЧЕСОВ И МАСКИ

DN CAROLO FRIDERICO

DONG WU TING YOUNG HUNG CHI IN SHEN QI

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

DR. BARRON HODGKINZ.

22. THEOL. DOCT. & BROL. QUD.

Handbooks of Practical Psychology and Sociology

Dr. KURT MAYER: A WORKING


1982-1983 annual report

WILHELMUS HERMANNUS GRAVIS

Editorial Note 22

CHRISTOPHERS

10. *Leucosia* (L.) *leucostoma* (L.) *leucostoma* (L.) *leucostoma* (L.)



I. N. D.

CAPUT I. NOMINALE.

SUMMARIA.

- | | |
|--|--|
| §. 1. Vociis Fidei Etymologia. | Miraculorum. |
| §. 2. Ejus varia Acceptio. | §. 5. De Fide Historica; §
quare ita dicatur. |
| §. 3. Acceptio Ejus Objectiva &
Subjectiva. | §. 6. De Fide Temporariorum
hic breviter. |
| §. 4. Fidei Subjectivè accepta
varia Species. Ubi de Fide | |

§. I.

Oederis Gratiæ Conditio à salvandis requisita, est Fides. Quemadmodum enim Incredulitas initium Defectionis & aversionis à DEO fuit: Ita Fides origo Rever-sionis nostræ ad Deum recte dici potest. Hebraicè dicitur אמִנָה ab נָתַן Nutravit; quod in Hiphil קָרַם Credidit; in Niphal נָתַן Firmum, Stabile, fidele & constans esse, item Verum esse, Verificari, Confirmari significat. Græcè appellatur πίστις, quod Nomen juxta Budæum

A

dæum

dæum & Stephanum, aliosq; derivatur ἀπό τοῦ πεπειθατού
à Verbo *persuasum esse*, quod est, à πέπθω, πέπθομαι, per-
suadeo, *persuasus sum*: Nam credere est de rei veritate
certò *persuasum esse*. Unde Paulus Rom. 8,38. πέπεισμα
persuasus sum, vel *persuasum est mihi* i.e. firmiter credo.
Latinum vocabulum Fides, Cicero lib. 1. Offic. c. 7. de-
ductit à Verbo Fio, si quidem Fiat, quod dictum est:
Credamus, quod fiat, quod dictum est, appellatam Fidem.
it. Lib. 16. Epist. 12. *Docui te, Fides Etymon quod haberet.*
Quam Etymologiam retinuit Augustinus Epist. 19. ubi
scribit, *non licere pro veritatis dispensatione mentiri; cum*
ipsa Fides in Latino sermone ab eo dicatur appellata, quia Fit
quod dicitur. Verum, judicio Vossii lib. 2. Instit. Orat.
Cicero hic τοιωτέρως, ἐπυμολογίζει, cum Fides derivetur
à Fido, atque hoc à Græco Verbo πέπθω, Persuadeo,
Credo, Fido.

§. II.

Accipitur autem vel *Activè* & *Ethicè*; vel *Pastore* &
Theologicè. *Activè* s. *Ethicè* à Cicerone, aliisque Aucto-
ribus Latinis, pro Fidelitate, Sinceritate & Integritate
s. pro dictorum conventorumque constantia & verita-
te sumitur, adeoque pro Justitiæ Fundamento ap. Cic.
Offic. l 1.c.7. Dicitur *Activæ* quia nos eam aliis præstamus
& servamus. Quo significatu etiam in ipsis Sacris literis
non raro adhibetur. e. g. 2. Reg. 12, 15. ubi homines, qui
acceperant pecuniam, ut distribuerent eam artificibus, in Fide
eam tractasse, dicuntur. it. c. 22, 7. Esa 33, 6. *Et erit Fi-*
des in temporibus tuis. Jer. 5, 1. *Circuite vias Jerusalem* &
aspicite & considerate & querite in plateis ejus, an invenia-
tis virum judicium facientem & querentem Fidem. Jer. 7, 28.
Periit Fides & ablata est de ore eorum. & secundum non-
nullos, Gal. 5, 23. *Fructus Spiritus est Fides.* Quia ratione

Da-

David Ps. 12, 2. queritur, *defecisse fideles s. veraces ex filiis hominum; & Deus natus fidelis esse dicitur 1. Cor. 10, 13. 1. Thess 5, 24. 2. Thess 3, 3.* *Passim*, accepta notat virtutem in mente nostra, quā iis, quae audimus & cognoscimus, assensum præbemus, auctoritate ac testimonio dicentis nixi. Quae Auctoritas ac Testimonium, si humanum fuerit, Fidem humanam; sin autem divina Auctoritas ac Testimonium fuerit, in qua acquiescimus, Fidem divinam gignit. Vocatur *Passim* quia alteri adhibetur. Per hoc enim *Fides à Scientia & ab Opinione* distinguitur, quod *Fides* sit Assensus certus ac firmus Auctoritate & Veracitate s. Sinceritate loquentis nixus. *Scientia* verò, licet sit assensus certus, non tamen testimonio & Auctoritate cujusquam, sed Demonstratione ex causis & Argumentis evidenter nititur; unde dicitur: Scire est rem per causam cognoscere. *Opinio* autem est assensus debilis cum formidine oppositi conjunctus.

§. III.

Rursus accipitur vel *Objectivē*, & *Fides*, *qua creditur*, vocatur; vel *Subjectivē*, & *Fides*, *quā creditur*, appellatur. *Objectivē* per Metonymiam pro Evangelio seu Doctrina Evangelii, cui *Fides* adhibenda, vel quae *Fide recipienda* est sumitur. Quo sensu Christiani de Saulo Persecutore converso, tunc Paulo appellato, dicebant Gal. 1, 23. *Qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat Fidem, quam aliquando oppugnabat.* Et Gal. 3, 23. 25. *Priusquam veniret Fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam, Fidem qua revelanda erat.* Itaq. lex Pedagogus noster fuit in Christo ut ex Fide justificemur. At ubi venit *Fides*, jam non sumus sub *Pedagogo*. Quia significatione Paulum adhibuisse vocem *Fidei* in Epistola ad Rom. Capp. 3. 4. 5. &

& ad Gal. c 2. & 3. (ubi docet, hominem justificari non operibus Legis, sed Fide s. per Fidem) sibi per vadet Auctor Tractatus Gallici: Ouverture de l'Epitre aux Romains p m. 28. 29. 30. 31. seqq. *Subjective* & habitu-
liter pro Fide quā creditur: quæ rursus à nonnullis, ut Augustino non solum Serm. 181. sed & Tract. 54. in Ps. & de Verbis Dom. Serm. 6. it. Tract. 29. in Johann. & Lombardo lib. 3. Sent. 3. Distinct. 23. it. Thom. 2. 22. q. 2. a. 2. distinguitur in Fidem, quā credimus Deum, vel quā credimus Deo, vel quā credimus in Deum, ita ut prima sit, credere, Deum existere; secunda, Deo loquen-
ti fidem habere; tertia in Deum fiduciam ponere & habere. Verum tametsi accurate loquendo hæc ita se habeant, & credere Deum, & credere in Deum o-
mninò differant; attamen phrases hæ: Credere Deo,
& credere in Deum, tam in Scriptura, præsertim Ori-
ginali, quām apud quosdam Scriptores Ecclesiasticos
sæpe promiscue usurpantur, continentque Hebrais-
mum, cùm **הָאמָן** aliquando cum **בְּ** aliquando cum **בַּ**
construatur; quorum prius **τὸν πιστεύειν τῷ Θεῷ**, *Credere*,
Deo, posterius **τὸν πιστεύειν εἰς τὸν Θεόν**, *Credere in Deum*,
respondet. Sic verba Gen. 15, 6. **וְהִאמֵּן בְּיְהוָה** & credi-
dit (Abraham) *in Dominum*; LXX transtulerunt: **επίστευσεν Αβραμ τῷ Θεῷ**, *Creditit Abraham Deo*; quorum translationem probaverunt Paulus Rom. 4, 3. Gal. 3, 6.
& Jacobus c. 2, 23. Conf. 2. Reg. 17, 14. Nec tantum hæc phrasis *Credere in* (aliquem,) *Deo*, sed & Ministris Dei tribuitur, ut Mosi Exod. 14, 41. *Et crediderunt in Domi-
num & in Mosen Servum ejus* Ex. 19, 9. *Et credant in te* (Mosen) *in perpetuum*. 2. Paral. 20, 20. *Credite in Domi-
num Deum vestrum & securi eritis: & credite in Prophetas
eujus & cuncta evenient prospera.* 1. Sam. 27, 12. *Et creditit*

Achis

Achis in David: quandoq; Fidei motivis tribuitur, ut Psal. 78, 32. *Non crediderunt in miracula ejus;* quandoque Fidei Objecto, ut Ps. 119, 66. *In Precepta tua credidi.* & Marc. 1, 15. *Credite in Evangelium.* Quin Patres adhibent Phrasēs: *Credere in Ecclesiam, in Baptismum, in Remissionem Peccatorum, in Vitam aeternam, in Pænam aeternam.* &c. quibus tamen non nisi Existentiam horum omnium expresserunt. Sic Cyprianus Epist. 70. ad Januar. & ceteros Episcopos Numidas p. m. 175. inquit: *Sed & ipsa interrogatio, qua sit in Baptismo, testis est veritatis: Nam cum dicimus: Credis in vitam aeternam, & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in Ecclesia dari.* Id. ad Demetrian. p. m. 284. *In aeternam pænam sérō credent, qui in vitam aeternam credere noluerunt.* Epiphan. in Ancor. *Credimus in unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam & in unum Baptismum pænitentia, & in Resurrectionem mortuorum, & in Regnum cœlorum, & in Vitam aeternam.* Similia occurrunt in Confessione ab Ario & Euzojo Constantino exhibita ap. Socrat. Hist Ecclesiast. l. 1. c. 26. Sozom. l. 2. c. 21. Ipse Augustinus Hom. 3. ad Neophytos, de Consecr. Di. 4. c. 73. dicit: *Credendum in Ecclesiam:* Quo sermonis genere & Hieronymus usus est. Vid. Joh. Pearson Exposit. Symb. Apost. Artic. 1. p. m. 26. 27.

§. IV.

Hujus *Fidei, Passivè & Subjectivè acceptæ, variii vel Gradus vel Species observantur & constituuntur.* Et enim Fides significat in N. T. quandoque persuasione promissioni particulari & omnipotentiae divinæ innixam de opere aliquo miraculoſo vel à nobis vel in nobis s. circa nos virtute Christi producendo & efficiendo :

do : quæ Fides Miraculorum dicitur ; estque duplex : Vel ejus in quo miraculum efficitur ; Vel ejus per quem Deus miraculum efficit. Priorem requirit Christus, quando homines ægrotos sanandos rogat : Num credant ? Matth. 9, 28 29. 30. Cum venisset domum, accesserunt, ad eum duo caci. Et dicit eis Jesus : Creditis, quod hoc possum facere vobis ? Dicunt ei : Utique Domine ; Tunc tetigit oculos eorum dicens secundum fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum. Marc. 5, 36. dicit Archisynagogo : Noli timere, tantummodo credere. Marc. 9, 16-22. Patrem filii Lunatici compellat : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Joh. 11, 40. Martha fratem resuscitaturus ait : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei. conf. Matth. 8, 13. 14. Luc. 8, 50. Joh. 4, 50. Posteriorem indigitat Christus discipulos suos alloquens Matth. 17. 19. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceris monti huic : Transi hinc illuc, & transfibit, & nihil impossibile erit vobis. Marc. 16, 17. Signa eos, qui crediderint, hac sequentur. In nomine meo Daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super agros manus imponent, & bene habebunt. Quæ Fides tamen, Amore Dei & Proximi, adeoque observatione Præceptorum divinorum destituta, nihil proderat ad salutem, Auctore Paulo 1 Cor. 13, 2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quare Christus Matth. 7, 22. 23. extremo die, iis, qui jaetabunt : Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Daemonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus ? respondebit : Nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. Hæc Fides Miraculorum, Stylo Scholasticorum, ad Gratiam gratis datam per-

pertinuit atque in salutem aliorum concessa fuit, ut patet i Cor. 12, 1. 7. 8. 9. 10. 11. nec tantum in Apostolis, sed & in multis aliis fidelibus locum habuit, atque ultra ducentos, circiter, à nato Christo, annos, in Ecclesia plantanda, duravit: quâ plantatâ, rario facta fuit, ita ut hodie ordinarie cesseret, quamvis illam quibusdam singulariter Piis, præsertim in Conversione infidelium concedi posse non repugnet. Fidem hanc Miraculorum non esse solummodo excellentem quandam Fidei Justificantis gradum, ut volunt Romano-Catholici, sed Specie differre à Fide Justificante patet, (1) quia Fides miraculorum est χάρισμα, ipsisque fatentibus, pertinet ad *Gratiam gratis datam*, atque ad salutem aliorum data fuit à Deo; cum e contrario Fides Justificans spectet ad *Gratiam gratum facientem* atque ad cujusque fidelis propriam salutem detur. (2) quia Matth. 7, 22. 23. quidam Fidem Miraculorum habuere qui tamen Fide Salvificâ caruerunt. (3) quia si Miraculorum Fides excellens Fidei Justificantis gradus esset, Christus Fidei hujus defectum discipulis exprobratus, non dixisset: *Si habueritis fidem sicut granum sinapi, diceretis monti huic: Transi hinc &c.* Nam granum sinapi rem parvam denotat in Scriptura, ut Matth. 13, 31. 32. atque id antithesis inter granum sinapi & montem: item celebre inter Judæos Proverbium, exigit; Tantundem itaque est ac si dixisset: si vel tantillum Fiduciae haberetis; Ast hoc de excellenti Fidei Justificantis gradu dici non potuisse loquitur res ipsa. (4) Fidem Justificantem à Fide Miraculorum diversam esse, inde quoque patet, quia in multis fidelibus & olim fuit, & hodie est Fides Justificans sine fide Miraculorum; licet in Ecclesia Apostolica Fides Miraculorum cum Justificante non raro fuerit conjuncta.

B

§. V.

Mentio fit in Scriptura *Fidei Generalis & Dogmatica* quæ est notitia & assensus nudus Theoreticus Intellectui Theoretico inhærens, quo homines, hac Fide prædicti, iis quæ Scripturâ continentur, sine interiori Cordis affectu vel in Deum revelantem vel in rem revelatam, nudè ac simpliciter assentiuntur; ad pie vivendum autem inde non moventur nec meliores redduntur. Ejusmodi Fidem Simon Magus adhibuerat Philippi Apostoli prædicationi Act. 8, 13. 21-23. cuius cor tamen non erat rectum coram Deo. Felle enim amaritudinis & obligatione iniqutatis constrictus tenebatur; proindeque ei neque pars neque sors erat in sermone isto. Ita Joh. 2, 23. 24. multi, videntes signa, i. e. miracula Jesu, crediderunt in nomen Ejus; Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. Hanc Fidem perstringit Jacobus c. 2, 17. 18. 19. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa: Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi Fidem tuam sine operibus; & ego ostendam Tibi ex operibus Fidem meam.* Tu eredis quoniam unus est Deus: Bene facis; & Dæmones credunt & contremiscunt. Dicitur *Historica*: non ab Objeto, quasi Historias s. Narrationes in Sacris literis contentas, v. gr. Historiam Creationis, Lapsus Protoplasmatorum, Diluvii, Excidi Sodomitici, Vocationis Abrahami ex Ur Chaldaeorum, Commorationis & Educationis Israëlitarum in & ex Ægypto &c. Nativitatis, Passionis, Mortis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, tantum admireret, iisque Fidem haberet; Sed *Historica* appellatur à Modo, quo circa Objecum suum versatur. Quemadmodum enim Historias legentes veritatem illarum quidem agnoscunt, verum illis plerumque, ut ad se non pertinentibus, parum afficiuntur & mutantur:

tur: Ita qui Fide Historica prædicti Scripturam vel legunt, vel contenta ejus audiunt, otiose contemplantur, non fictè quidem, nec simulate, sed revera credunt, nec tamen ea ad praxin deducunt. Tametsi vero hæc Fides cum Fide Justificante conjuncta sit, hæcque illam præsupponat & includat, ipsa tamen non justificat & à Fide Justificante separata esse potest. Errorem illorum, qui sibi Fide hac Dogmaticâ blandiuntur, egregie perstringit Lutherus Tom. 2. Isleb. p. 198. Es sind derer viel/die allein meinen/ wann Sie gedachten an Christum/ wie Er gesitten hat/ so sey Christus in ihnen/ und schätzen den Glauben an Christum nicht für das rechte geistliche Wesen Christi in uns/ oder unser Wesen in Christo/ sondern träumen ihnen selbst/ daß Fides Historica gebe das ewige Leben/ wenn sie überhinauffen /tichten und gedachten von Christo/ und allein mit dem Spiegel-schönen umbgehen &c.

§. VI.

Ulterius progreditur Fides ~~wegendiquav~~ s. Temporariorum. Etenim hæc non Intellectum solum Theoreticum, sed & Practicum, afficit, imo cor ipsum quoque tangit, idque non exiguo gaudio perfundit, quin, fructus aliquos plerumque profert: radicem tamen non habet, indeque exortate tempestate deficit, docente Christo Luc 8, 13. Qui supra Petram: qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; & hi radicem non habent: qui ad tempus credunt & in tempore temptationis recedunt. De hujus Fidei Temporariæ Convenientia & Differentia cum, & à Fide Justificante uberioris agemus perspecta natura & causis Fidei Justificantis. Cum enim Fides Justificans omnem Fidei Historicæ & Temporariæ virtutem includat, & in se contineat, ab eaque distingua-

tur ut Perfectum ab Imperfecto, sive Distinctione, qua gradus superior differt ab inferiore; ut Anima rationalis se habet ad Sensitivam & vegetativam, quarum Facultates & Virtutes, Vitam sc. Sensum & Motum eminenter includit & Rationis gradum addit; observante Lud. le Blanc. Thes. Theol. de Fide Th. 15. p. m. 3. & D. Elia Grebenitz Disp. Theol. de Fide Temporaria Subsec. 2. §. 4; Inde liquidò apparet, Fidei Justificantis Naturā accuratē cognitā, Fidei Temporariæ Naturam & Qualitatem etiam innotescere.

CAPUT II. Reale.

S U M M A R I A.

- | | |
|---|--|
| <p>§. 1. <i>Fidei Justificantis Definitio.</i></p> <p>§. 2. <i>Auctor Fidei Deus. Ubi, quomodo tamen Fides Officium nostrum sit.</i></p> <p>§. 3. <i>Medium, cuius interventu Fides accenditur, est Verbum, lectum vel à Ministris prædicatum.</i></p> <p>§. 4. <i>Actus Fidei quinam?</i></p> <p>§. 5. <i>Notitia ad Fidem præquiritur.</i></p> <p>§. 6. <i>Fides Implicita, quat. à Nobis admittatur? Carbonaria Fides improbatur.</i></p> <p>§. 7. <i>Affensus ad Essentiam Fidei spectat.</i></p> <p>§. 8. <i>Fiducia specialis Misericordia obtinenda pertinet ad Fidem.</i></p> | <p>§. 9. <i>Amor & Acquiescentia in Deo Salvatore in Fide Justificante inclusa.</i></p> <p>§. 10. <i>Objectum Fidei Materiale generale, totum Dei Verbum; Speciale Christus & Promissiones Evangelii. Formale, Auctoritas Dei loquentis. Ubi discrimen inter Fidem Divinam & humanam.</i></p> <p>§. 11. <i>Motiva Credibilitatis.</i></p> <p>§. 12. <i>Subjectum Denominatio-nis, non Angeli, nec tam Homo integer; quam Homo Peccator, Viator. Subjectum Inbeso-nis ratione Notitiae & As-sensus, Intellectus; Ratione Fiducia & Amoris Voluntas. Ubi de Fide Infantum.</i></p> <p>§. 13. <i>For-</i></p> |
|---|--|

- | | |
|---|--|
| §. 13. <i>Forma Fidei. Ibi de Fide Formata.</i>
§. 14. <i>Finis; salus eterna.</i>
§. 15. <i>Effectus Immediati & Mediati.</i>
§. 16. <i>Adjuncta 1. Unitas. 2. Necesitas. 3. Firmitas vel Infirmitas, respectu trium suo-</i> | <i>rum Actuum & Effectuum.</i>
4. <i>Perséverantia. 5. Certitudo tam Objectiva quam Subjectiva.</i>
§. 17. <i>Opposita in Defectu</i>
1. <i>Dubitatio. 2. Incredulitas.</i>
3. <i>Diffidentia. In Exesu. 1. Ni-mis Credulitas. 2. Præsumtio.</i> |
|---|--|

§. I.

Fidei Justificantis Naturam exponit *Definitio* sequens: Fides Justificans est habitus Gratiæ Dei & Spiritus Sancti per Verbum & Sacra menta in homine peccatore, Viatore productus, quo ille totum Dei Verbum, praecipue Evangelii, pro vero admittit, Christum recipit, in primis Promissiones Evangelii, de Remissione peccatorum & Salute æterna resipiscientibus propter Christum factas, intimo cordis affectu amplectitur sibique applicat, in Dei gloriam & suam salutem. Catechesis Palatina sic definit: *Fides est non tantum certa notitia, qua firmiter assentior omnibus, que Deus nobis in verbo suo patefecit; sed etiam certa fiducia, à Spiritu Sancto, per Evangelium in corde meo accensa, quæ in Deo acquiesco, certo statuens, non solum aliis, sed mihi quoque Remissionem peccatorum, eternam justitiam & vitam donandam esse, idque gratis, ex Dei misericordia, propter unius Christi meritum.* In Declaratione Thoruniensi Theologi nostri Fidem ita describunt: *Veram Fidem & Justificantem eam dicimus, qua promissionem Evangelii, quæ resipiscientibus Remissio peccatorum & Vita in Christo offertur, assensu praetico seu fiduciali amplectitur, & corde vere contrito sibi applicat, queque deinceps per Charitatem est efficax.*

B 3

§. II. Auctor

Auctor Fidei est Deus στοιδας consideratus Joh. 6, 28. 29. ubi postquam Christus v. 27. turbæ præcepisset: *Operamini cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis;* quærentibus: *Quid faciemus ut operemur Opera Dei?* respondit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Ephes. 2, 8. *Gratia estis salvati per Fidem,* & hoc non ex vobis, *Dei enim donum est, non ex operibus,* ut ne quis glorietur. Philip. 1, 29. *Vobis datum est, pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Et quia Fidei donatio est Actio Dei ad extra essentialis, inde donatio Fidei S. Trinitati communis est: *Patri, Jacob. 1, 17. Omne datum optimum & omne donum perfectum defursum est, descendens à Patre luminum.* Filio, Hebr. 12, 2. ubi Auctor Fidei & Consummator dicitur: *Spiritu Sancto;* i. Cor. 12, 3. Nemo potest dicere Jesum Dominum nisi per Spiritum Sanctum. Quare & Gal. 5, 22. Fides inter Fructus Spiritus refertur. Et quia Fides ex Illuminatione & Regeneratione Spiritus Sancti ortum habet, Spiritui S. terminative donatio Fidei tribuitur. Nec initium tantum, sed & incrementum & complementum Fidei à Deo est; Unde Apostoli Dominum orant: *Adauge nobis Fidem;* & Phil. 1, 6. Paulus scribit: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usq[ue] in diem Iesu Christi.* & c. 2, 13. *Dens est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Unde Concilium Arauficanum II. Can. 5. Contra Sernipelagianos definivit: *Si quis, sicut Argumentum, ita etiam initium Fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad Regenerationem Baptismatis pervenimus, non per Gratia donum i. e. per inspirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturam*

litter

liter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius ap-
probatur. Phil 2, 13. c. 1, 6. Eph. 2, 8. Confer ibi & Cano-
nem 4. 6. & 7. & Scholaстиci Fidem, Spem & Charita-
tem Habitus infusos appellarunt atque Habitibus acqui-
sitis, qui solo studio nostro acquiruntur, contradistin-
xerunt. Quibus contradicunt Pelagiani, Semipelagi-
ani, Sociniani & Remonstrantes, qui Virtutes has Theo-
logicas, utpote officium nostrum continentes ac pro-
inde nobis præceptas, atque à nobis requisitas, Habitus
infusos esse negant, accusantque affirmantes, quod Of-
ficium nostrum in Privilegium perperam convertant.
Vid. Volkel. de Vera Religione lib. 5. c. 18. p. 554. 555.
Jon. Slichting Disp. 2. contra Meisnerum Quæst. duab.
p. 22. 23. it. contra eund. de Baptismo p. 898. 899. item
Apol. Confess. Remonstr. Cap. 8. fol. 95. 96 c. 10. fol. 114.
fac. 2. 115. c. 17. fol. 187. 188. Episcopius Disp. 15. de Bapt.
p. 44. Curcell. Relig. Christi Instit. l. 4 c. 5 s. 1. p. 169 &
Dissert. 4. §. 19. p. 941. Phil a Limborch. Theol. Christ. lib.
5. c. 11. s. 1. p. m 413. 414. Verùm illorum hypothesis &
accusatio supponit, Fidem à Deo in nobis sine nobis ef-
fici, & Fidem ita Dei donum esse, ut simul Officium no-
strum non sit atque ut Officium nobis non præscriba-
tur & præcipiatur s. sub præceptum non cadat; Cum
è contrario Orthodoxi statuant, Fidem ita Gratiæ &
illuminationi divinæ, ut Principio, tribuendam esse, e-
*jusq; habitum ita à Deo per Verbum infundi, ut Fides *A-**
**ctualis* nihilominus officium, homini à Deo præscriptum*
& præceptum, maneat, homo Deo & in Deum creden-
do, officium suum impleat, Deoque Fidem mandanti
liberè credendo obtemperet, & credendo Conditionem
Fœderalem, à Nobis requisitam, præstet; cum non
Deus in nobis credit, sed Nos Deo & in Deum, viri-
bus

bus Gratiae à Deo nobis concessis, credamus. Quia de causa etiam Præcepta Fidei ab omnibus Orthodoxis indesinenter urgentur ex Marc. 1, 15. *Pœnitentiam agite & credite Evangelio Joh. 20, 27.* Iesus dixit Thomæ: *No- li esse incredulus, sed fidelis.* v. 29. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Act. 16, 30. 31. Apostoli custodi carceris quærenti: *Quid me oportet facere, ut salvus siam?* præcipiunt: *Crede in Dominum Jesum & salvus eris tu & do- mus tua* Marc. 16, 16. *Quicunque crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit;* qui vero non crediderit *condemnabitur.* Joh. 3, 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unige- nitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed ha- beat vitam aeternam.* v. 18. *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.* v. 36. *Qui credit in Filium habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Act. 19, 4. Paulus ait: *Johannes baptizavit Baptismo Pœnitentia populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, h.e. in Je- sum.* Matth. 21. v. 26. *Si è caelo fuit Baptismus Johannis, quare ergo non credidisti illi?* Conf. Marc. II, 30. Luc. 20, 5. Rom. 10, 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus Illum suscitavit à mortuis, salvus e- rit,* v. II. Dicit enim Scriptura: *Omnis qui credit in Illum, non confundetur.* Quando itaq; homines juxta mandatum Dei credunt, tunc præstant Conditionem illam, quam Deus in foedere Gratiae ab illis exigit, & operantur Opus Dei, Joh. 6, 28. 29. Nam i. Joh. 3, 23. *Hoc est Mandatum e- jus, ut credamus in nomine Filii ejus Iesu Christi.*

§. III.

Medium, quo interveniente Deus ordinarie Fidem in cordibus hominum accedit, est Verbum, indirecte & per

& per Accidens, *Legis*; directe verò & per se, *Evangelii*,
vel lectum vel auditum & meditatum, cui annexa sunt
Sacra menta. Hæc est enim Dei sapientissima ordina-
tio, ut homines per Evangelium Christi prædicatum,
vel lectum, officii sui commonefiant, fidem concipient,
in Christum credant, resipiscant, & Conversionem su-
am bonorum operum exercitio testantes, æternum
salventur. Luc. 16, 29. *Habent Mosen & Prophetas, audi-
ant illos.* Matth. 17, 5. *Hic est filius meus dilectus, in quo mi-
hi bene complacui, ipsum audite.* Rom. 10, 14. 15. Quomodo
credent ei, de quo non audierunt: Quomodo autem audient
sine prædicante? v. 17. Ergo Fides ex auditu, auditus au-
tem per Verbum Christi. 1 Cor. 1, 21. Placuit Deo per stul-
tiām prædicationis salvos facere credentes. Act. 13, 48. Au-
dientes gentes gavisa sunt & glorificabant verbum Domini &
crediderunt quotquot erant (*τελαγύρεοι*) ordinati ad vitam e-
ternam. Act. 16, 13. 14. Paulus & Timotheus, sedentes
loquebantur mulieribus, quæ convenerant: Et quedam mulier
nomine Lydia purpuraria Civitatis Thyatirenorum, colens
Deum, audivit, cuius Dominus aperuit cor intendere his, que
dicebantur, à Paulo. Conf. 2 Cor. 4, 6. Quia in re Deus
utitur Ministerio servorum suorum unde Joh. 17, 20. fi-
deles in Christum credituri dicuntur per Verbum Apo-
stolorum; & Paulus 1 Cor. 3, 5. quærerit ac subjicit. *Quis
est Paulus?* *Quis Apollo?* Ministri sunt, per quos credidisti,
& unicuique sicut Dominus dedit, v. 9. Dei enim sumus ad-
jutores. & Eph. 4, 11. 12. scribit idem Apostolus: *Ipse de-
dit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alias vero
Evangelistas, alias autem Pastores & Doctores ad consumma-
tionem sanctorum in opus ministerii & edificationem corpo-
ris Christi.* Neq; dubitamus, Deum omnibus per Evan-
gelium vocatis, obicem malitiōsē non ponentibus, Fi-
dem conferre paratum esse. C § IV,

Actus Fidei, secundum Ecclesiæ Rom. & Græcæ Theologos, est unicus, np. *Affensus*; quos alii quidam Theologis sequuntur. Juxta receptionem tamen Protestantum sententiam Fidei Actus tres sunt: *Notitia, Assensus & Fiducia*: Qui Actus à quibusdam *Partes Fidei*, late accepto *Partis* vocabulo nominari solent, atque instar *Materia ex qua* doctrinæ causâ, concipi possunt; horumque Actuum posterior semper includit priorem, & priores duo ad Intellectum, secundum receptam Philosophiam (:cui Cartesiani contradicunt:) tertius ad Voluntatem spectat.

Cum prorsus ignota credi nequeant, ut *ignotinula Cupido* est; inde Notitia ad Fidem requiritur, vel ut Pars, quæ communior Protestantum est sententia, vel saltem, ut Necesarium Antecedens s. Prærequisitum; quod recte statuunt, Amelius, Medullæ Theol. lib. I. c. 3 §. 4. Wilh. Forbesius Consideratt. Modestis & Pacif. Controvers. de Justif. C. 2. p. 3. Burmannus Synopsis. Theol. Lib. 6. c. 4 §. 5. p. m. 182. Wittich. Theol. Pacif. c. II. §. 128. p 98. it. Theol. Pacif. Defens. p. 227. & Lud. le Blanc Thef. Theol. de Fidei Justificantis Natura & Essentia §. 93 p. 223. f. 224. non contradicente Herm. Wittio de Oeconom. Fœder. De lib. 3. c 7. §. 8. & 27. Ubi tamen in gratiam Ecclesiæ Rom. Doctorum observandum est, Evangelicos per Notitiam non intelligere Scientiam proprie dictam, quæ est evidens cognitio rei per causam, nec rei Intelligentiam ac Perceptionem accuratam, quâ res & rei modus ac ratio sufficienter & adæquatè cognoscatur: Fatendum enim est, multa credenda, in specie Mysteria à Fidelibus, in primis indoctis,

doctis, ex Révélatione divina quidem apprehendi, at-tamen evidenter à nobis demonstrari & rationem ac Modum eorum comprehendendi non posse; sed per Notitiam hic solummodo intellectam volunt, Rerum credendarum Apprehensionem, quâ intellectus Christiani utcunquè capit & assequitur, quidnam illud sit cui ex Verbo Dei assentiendum est. Atq; ejusmodi Notitiam ad Fidem omnino requiri, nec Fidem per Ignorantiam potius, quam Notitiam describendam, (quod Bellarmino excidit lib. 1. de Justif. C. 7.) probamus I. Ex illis scripturæ locis in quibus Fides per Notitiam describitur Esa 53,ii. *In Scientia sua justificabit ipse justus ser-vus meus multos*; Ubi non de *Scientia Activa Servi illius*, quâ ipse nos cognoscit, sed *Pasiva*, quâ nos ipsum co-gnoscimus, sermonem esse, contextus evincit. Job. 19, 25. *Scio quod Redemptor meus vivit*. Joh. 17, 3. *Hac est vita a-terna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* J. C. In quem locum Maldonatus scribit: *Quid est causa, cur in sola cognitione i. e. in sola Fide vitam eternam pone-re videatur?* 2. Tim. 1,12. *Scio cui credidi & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* II. Ex Fi-dei Naturâ, quæ procul dubio Assensus est, sed qui ne-cessariò hæc duo præsupponit: 1. cognitionem Propositionis cui assentiendum est; cum fieri nequeat, ut rei ignotæ assentiamur, quia eam intelligimus & veram es-se arbitramur. 2. Cognitionem, Deum revelasse rem credendam. III. Ex modo quo Fides in hominibus ge-neneratur, qui est ordinarie Institutio & Informatio per lectum, prædicatum & auditum Evangelium. Rom. 10, 14.17. *Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo au-tem audient sine predicante?* ergo *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Joh. 6, 45. *Est scriptum in Pro-phetis:*

phetis: Et erunt omnes docti à Deo: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. 68. 69. dixit Jesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vita aeternæ habes; & nos credidimus & cognovimus, quod tu es Christus Dei Filius. Qui Modus ignorantiam à Fide excludit, Notitiam vero ad eam prærequiri declarat. IV. A Fidei Synonymis. Dicitur enim Luc 1, 77. Scientia salutis Rom. 16, 25. Eph. 3, 3. Coloss. 1, 26. Revelatio & Cognitio Mysterii eousque taciti 1. Cor. 1, 2. it. c. 2, 6. 7. Sapientia Dei. 1. Tim. 2, 4. 2 Tim. 3, 7. Tit. 1, 1. Agnitus Veritatis, quæ secundum Pietatem est. V. A Fidei conjugatis: Credentes enim vocantur Eph. 5, 8. Lux in Domino. Math. 13, 23. Intelligentes. Joh. 6, 45. ex Esa. 54, 13. & Jer. 31, 34. edociti à Deo Eph. 1, 18. illuminatos oculos Cordis habentes; qui à Deo tūm sibi, tūm aliis intellectum precantur Ps. 119, 34. 125. 130. 144. Eph. 1, 17. 18. Col 1, 9. VI. Ab oppositis Fidei, ratione Actus Notitiae, quibus Incredulitas significatur, quorum præcipua sunt. Cæcitas Rom. 11, 28. Eph. 4, 18 Ignorantia Act. 17, 23. 30. Insipientia Rom 10, 19. Stultitia Luc. 24, 25. Tenebra Esa. 9, 1. Joh 1, 5. 10. Luc. 1, 79. Matth. 4, 15. Eph. 5, 8. Quæ Incredulitatis Ignorantia improbatur Ps. 32, 9. Ne sis sicut mulus & equus, quibus non est intellectus. Esa. 1, 3. Populus mens non intellectus. Esa. 4, 14. Populus mens non intelligens. Matth. 22, 29. Erratis nescientes scripturas. 2. Tim. 3, 7. improbantur semper discentes, sed nunquam ad cognitionem Veritatis pervenientes. Quæ omnia luculenter probant Notitiam rerum credendarum ad Fidem requiri, & Fidem non per Ignorantiam potius quam Notitiam definiendam esse.

§. VI.

Quamvis vero Fidem Implicitam (qua in confuso &

so & in communi aliquid credimus, quatenus includitur in Mysteriis revelatis à Deo, & quatenus credimus in communi, quæcumque à Deo revelata sunt esse vera; Cui contradistinguitur *Fides Explicita*, quæ distinete & in particulari attingit Veritatem illam, quæ credenda est) admittamus, i. ratione *Minorum* eorumque tam *Puerorum*, quam *Adulorum* simplicium & rudium, qui exiguam eamque obscuram habent non tantum Mysteriorum, sed quandoque & aliarum rerum credendarum notitiam. 2. Ratione *Proiectorum*, ipsorumque *Majorum*, qui in Mysteriis nō ōti, quod revera sint revelata, quidem norunt & credunt, nō ōti verò nā ōti ac nō nā s. Naturam & Modum rei clare & distinete non semper comprehendunt. 3. Ratione *Veteris Test. Fidelium*, qui multo obscurius & generaliter, indeterminata ac Typis umbris & figuris quasi implicata, & involuta non pauca dogmata, qualia fuerunt S.S. Trinitatis atque Incarnationis Christi, aliaque, revelata haberunt, ac proinde horum dogmatum respectu multa implicitè crediderunt; Vid. Henr. Alting. Theol. Elencht. Nov Loc 16. Logomachiā 4. p. m. 695. Turrettin. Theol. Part. 2. Loc. 15. qu. 9. §. 2. 3. Burmann. Synopf Theolog. lib. 3. c. 4. §. 11. & lib. 6. c. 4. §. 8. Maccov. Distinct. Theol. c. 1. Dist. 26. p. 13. Merito tamen improbamus *Fidem Implicitam*, qua Minores s. simplices Fideles sensum suum Ecclesiæ, ejusq; Doctoribus s. Majoribus, absolutā quadam obedientia submittunt, ac pro vero agnoscunt, quicquid Ecclesia præscribit, sive illud intelligent sive non intelligent. Quæ *Fides Carbonaria* dici solet. Cujus Denominationis rationem reddit Stanislaus Hosius lib. 3. contr. Proleg. Consult. Brentii fol. 261. fac. 2. his verbis: *Nihil est, quod majori cum periculo sit conjunctum,*

quam si quis de Scripturis cum Satana certamen intrare velit,
 præcipue quo tempore gravis agon instat, cum anima venit à
 corpore separanda. Tum verò fuerit tutissimum exemplum sè qui
 Carbonarii cūjusdam; Ex quo cum animi causa vir quidam
 doctus quesivisset, quid crederet? Symbolum recitat. Cum in-
 terrogares ille, quid præterea crederet? respondit: Quod Eccle-
 sia credit Catholica. Ille verò quid credit Ecclesia? Quod ego,
 inquit, credo. Cumque subinde ille quereret, circulo hoc usus
 Carbonarius, nihil aliud respondit, quam se credere quod Eccle-
 sia credit: Ecclesiam credere, quod ipse crederet: nec aliud
 ab illo quicquam elicere potuit. Fertur autem evenisse postea,
 ut vir ille doctus, & sacrarum literarum peritus in gravem
 morbum incideret, deque vita sua periclitaretur; orsus est cum
 eo quoque tum Satanas disputare, quidque crederet, ex eo qua-
 rere. Cumque nimis urgeret Satanas, neque se miser ille satis
 explicare posset, venit ei in mentem Carbonarii, nec alia fuit
 ejus vox audit a præter hanc: Ut Carbonarius. Qui vero asside-
 bant, cum propter morbi vim errore mentis affici putabant:
 postea quād verò fuit ex morbo confirmatus, interrogabant e-
 um, quid sibi voluerit, cum toties clamaret, Ut Carbonarius?
 Ille rem omnem explicat ordine, quemadmodum in illa sua cum
 Diabolo disputatione, sicut olim audiverat ex Carbonario
 quodam, non alio sibi configiendum esse dixerit, quam ad Fi-
 fidem Ecclesie Catholica, tanquam ad asylum unum omnium tu-
 tissimum; quodque plus præsidii in ea tum invenerit, quam in
 omni Scripturarum exercitatione, quas tota vita sua meditatus
 erat diligenter. Acceptum se ferre divine misericordia, quod
 in simplicem illum Carbonarium inciderit, cūjus nisi succur-
 risset exemplum, ingens fuerit periculum & discrimen aditu-
 rus. Conf. Claud. Espencæum Comment. in 2. Tim. 3.
 fol. 402. Non absimilem Historiam ex Barocio recen-
 set Bellarm. de Arte bene moriendi, lib. 2. c. 9. Tom. 7.
 Oper.

Oper. pag. 2090. 2091. Verum, ne nunc urgeamus, Carbonarium hunc Symbolum Apostolicum *explicite* credidisse, atque ita non omni Credendorum Notitiâ caruisse; Quo minus tamen hanc Fidei Implicitam admittamus, præter §. præced allata, persuadent sequentia Scripturæ dicta, quæ omnes fideles ad Inquisitionem Veritatis & Profectum in ea obligant, ipsisque examen Doctrinæ, quam Ministri proponunt, commendant, qualia sunt Joh. 5, 39. Scrutamini Scripturas. Ps. 2, 10. Intelligite Reges, erudimini qui judicatis terram. Matth 7, 15. 16. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. 1 Cor. 10, 15. Ut prudentibus loquor: Vos ipsi judicate quod dico, 1 Thessl. 5, 21. Omnia probate, quod bonum est tenete, 1. Joh. 4, 1. Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, Rom. 16, 19. Volo vos sapientes in bono & simplices in malo, 1 Pet. 3, 15. Estote parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe Actor. 17. v. II. Berhoenses laudantur, quod quotidie scrutati fuerint Scripturas num hac ita sc̄ haberent, ut à Paulo prædicabantur. Profectus autem in Cognitione Veritatis à fidelibus exigitur, 2 Pet. 3, 18. Crescite in Gratia & in Cognitione Domini nostri & Salvatoris J. C. 2. Pet. 1, 5. 6. 7. Vos caram omnem subinferentes ministrate in Fide vestra Virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in Patientia Pietatem, in Pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Eph. 4, 13. 14. Occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii DEI in Virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parduli fluctuantes &c. Veritatem autem facientes in Charitate crescamus in illo per omnia qui est Caput Christus. it. Col. 2, 19. Phil. 4, 8.

Quæ-

Quaecunq; sunt vera, quec. pudica, justa, sancta, amabilia, quec. sunt bona fama, si qua Virtus, si qua laus Disciplina, hac cogitate. Conf. i. Thes. 4, i. Apoc. 22, ii. Quæ omnia cum Fide Carbonaria consistere non possunt.

§. VII.

*Affensus omnium consensu Essentialis Fidei Actus est; Græcè συναπάθεσις dictus: estque certum ac firmum Intellectus judicium, Dei revelantis Auctoritate & Veracitate subnixum, quo omnia in Sacris litteris contenta, in primis Promissiones gratuita de Remissione Peccatorum & Salute æterna Resipiscientibus propter Christum factas indubitatò vera esse credimus, in iisque tutò acquiescimus. Hujus Actus ratione Apostolus Hebr. ii, i. Fidem vocat ὑπόστων ἐλπίον, Substantiam, Basin, fundamentum rerum speratarum, τηγυαστῶν ἔλεγχον & θλεπμένων, h.e. Argumentum, s. Ostensionem, Demonstrationem, Convictionem, Evidentiam, rerum non apparentium, quia existentiam earum in nobis quodammodo efficit, easq; nobis prælentes exhibet, ut iis non secus assentiamur, quam si oculis cerneremus: Vid. Witsii Oecon. Foeder. Lib. III. Cap. VII §. 13. 14. p m. 350. 351. Fundamentum hujus Actus non est rerum Evidentia, vel causarum & proprietatum Cognitio, sed Dei loquentis infallibilis Auctoritas & Veracitas; Unde Fides ad ejusmodi Axiomata refertur, quæ indubitatem habent Veritatem; Joh. 8, 24. *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* cap. ii, 27. Martha ait: *Ego credidi quia Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* v. 42 *Ut credant, quia Tu me misisti.* Joh. 16, 27 *Credidistis, quia ego à Deo exivi.* Joh. 20, 31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei.* Rom. 10, 9. *Hoc est verbum Fidei quod predicamus, quia si confitearis**

(25.)

*tearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris,
quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.*

§. VIII.

Nec tamen Fides *Affensus* tantum *Theoreticus*, sed & *Practicus* ac *Fiducialis* est, quô Verbum Dei & in primis Promissiones Evangelii de Remissione peccatorum & Salute omnibus creditibus & pœnitentibus conferenda, non solum veras esse judicamus ; Sed & nobis ipsis, Mihi, Tibi, si crediderimus & pœnitentiam egerimus, certissimas fore confidimus, proindeq; Pœnitentiâ Peccatorum, Miseriaque nostræ sensu, ducti, atque impotentiae ex miserrimo, in quo peccatum nos collocavit, statu emergendi, nobis consciâ, ex nobis ipsis e-gredimur atq; ad Deum in Christo, verâ cordis fiducia ac Spe obtainendæ Remissionis Peccatorum confugimus. Hanc Fiduciam specialis Misericordiæ ad Fidei pertinere negant Ecclesiæ Romanæ Doctores & Remonstrantes. Nos quidem fatemur, *Fiduciam* i.e. firmam persuatione de *Remissione* peccatorū jam re ipsa *impetrata* ad Fidei Justificantis essentiam non pertinere, neq; eam constituere, sed constitutam sequi, ac proinde non Formam, sed Effectum Fidei esse, attamen *Fiduciam* *specialis Misericordia* i.e. Confidentiam, quâ certo certius statuimus, Christum pro nobis in particulari etiam mortuum esse, Deumq; nobis quoque creditibus & pœnitentiam agentibus, peccata nostra *remisurum* & Salutem æternam daturum, ad Fidem requiri, affirmamus & probamus, Argumentis, petitis (1) Ab ipso *Affensu* : Nam quia Fideles Verbo Evangelii quô omnibus in Christum creditibus & resipiscientibus Salus æterna promittitur, assensum præbent, utique, Applicatione & Reflexione ad se ipsos factâ, credendum illis

D

lis est, Christum quoque pro ipsis mortuum esse, & Remissionem peccatorum ac Salutem æternam ipsis quoque, si in Christum credant & resipiscant, obvenituram esse. Quod fatetur Bellarm. de Justif. I. i. C. 10. pag. m. 835. & Cap. II. pag. 843. (2.) A Pronominibus applicativis & possesivis Me, Mihi, Meus, hic usurpati Gal. 2, 20. *Christus dilexit me & tradidit se ipsum pro me.* Joh. 20, 28. ubi Thomas ait: *Domine mi & Deus mi.* Job. 19, 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit.* 2. Tim. 4, 8. *Reposita est mihi corona justitiae,* Cant. 2, 16. *Dilectus meus mihi & ego illi.* (3.) Ex locis ubi habetur verbum λαμβάνειν, δοπλαμβάνειν, item δέχεσθαι, αποδέχεσθαι accipere, recipere, admittere, ut. Joh. 1, 12 *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui crediderunt in nomine eius;* Joh. 17, 8. Act. 10, 43. Rom. 8, 17. Gal. 3, 14. Gal 4, 5. Luc. 8, 13. Act. 8, 14. Jac. 1, 21. (4.) A Synonymis Fidei: dicitur enim 2. Cor. 3, 4. Eph. 3, 12 πεποθησις Fiducia, Confidentialia; Rom 4, 21 Eph. 3, 12. Col. 2, 2 Heb. 10, 22, πληροφορία certa atq. indubitate Persuasio; Matth. 9, 2 Joh. 16, 33. Σάπτος fiducia; Eph. 3, 12. 1 Joh. 3, 21. & 4, 17 παρρησία Fiducia, libertas loquendi. (5.) A luculentis Scripturæ testimoniis, in quibus Fides Fiduciam infert, ut Marc. 5, 24. Matth. 9, 2. *Fides tua te servavit;* quomodo Fides hæmorrhœæ describitur postquam secum ratiocinata fuerat v. 21: *Si solum tetigero vestimentum ejus, sanabor.* Quia fiduciâ simul atque oram vestimenti πιστως tetigit sanitatem furata est; docente Athanas. Tom. 2. p. 252. Matth. 15, 28. *O mulier, magna est Fides tua!* (6.) A Diffidentia, parva fiducia & hæsitatione reprehensa: Matth. 14, 31. Modicæ Fidei quare dubitasti? it. Matth. 16, 8. Jac. 1, 6. Postulet autem in fide nihil hesitans: qui enim hesitat, similes est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur. Rom. 4, 20.

4, 20. In reprobatione etiam Dei non habitarit differentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo. Conf. Marc. 5, 34. Matth. 8, 26. Luc. 8, 50. Quæ tamen ultima loca, ut & præcedentia quædam, de Fide Miraculorum agunt. (7) à Differentia Fidei Justificantis à Fide Hypocritarum & Dæmonum, qui Notitiam & Assensum habent, Fiduciâ autem destituuntur, Matth. 8, 29. Jac. 2, 19. (8) ab Etymologia vocum: πίστις enim & πεπιθήσις à πίσθω; Fides & Fiducia à Fido, adeoque à communi origine descendunt, nec solum Assensum sed & Fiduciam significant, quæ profinde à Fide Justificante excludenda non est.

§. IX.

Uti verò Fides Dogmatica & esse potest, & sæpe est, Charitate destituta: Ita ex adverso Fides Justificans & Viva Actum Amoris & Acquiescentia in Deo, Salvatore nostro, quo Christum recipimus, ei adhæremus, illique nos unimus ac tradimus, essentialiter includit & Obedientiam Fidei parit; quod docet Sponsa Cant. 6, 2. Ego dilectio meo, & dilectus meus mihi; & Paulus i Cor. 6, 17. Qui adharet Domino unus Spiritus est cum eo, Gal. 5, 6. In Christo JESU neque Circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur. & i Cor. 13, 1. 2. Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut as sonans, aut cymbalum tintiens &c. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Item Rom. 1, 5. Obedientia Fidei mentionem facit, & c. 6, 16. 17. ait: Cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obediitionis ad justitiam? Gratias autem Deo ago, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam traxi eftis. Rom. 16. v. 26. Evangelium nunc patescendum esse

dicit per Scripturas Prophetarum secundum praeceptum aeternum Dei ad obedientiam Fidei. & Rom. 10, 16. queritur, quod non omnes obedient Evangelio. Inde Augustinus Tract. 29. in Joh. Quid est credere in Deum? Credendo amare. & in Ps. 130. Hoc est credere in Christum, diligere Christum. Et Calvin. in Antidot. Concil. Trid. Sess. 6, ad Can. 9. Fidem non fingimus, Charitate vacuam. Quos sequuntur Chamier. Panstrat. Tom. 3. lib. 12. cap. 4. n. 15. 16. Wendelin. Syst. Theol. 1. 1 c. 24. Th. 8. n. 3. Joh. Coccejus Summ. Theol. c. 46. §. 46. Lud le Blanc Thes. Theol de Fidei Justif. Nat. & Essent. Th. 95 Wits. Oecon. Fæd 1. 3. c. 7. §. 17. 23. Wittich Theol. Pacif. c. 11. §. 138 it. Dn. D. Sam. Strimesius in Disp. Theol de Justitia Dei & Hominis §. 46. Ubi vero Charitas & Obedientia, ibi & bonorum Operum studium esse debet, ex Fide resultans; Jac 2, 14. Quid proderit, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Num quid poterit Fides salvare eum? v. 13. 18. Sic & Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicet quis: Tu Fidem habes, & ego opera habeo, ostende mibi Fidem tuam fine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus Fidem meam. v. 26. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & Fides sine operibus mortua est. Atque hi quidem Actus hucusque recensiti, praesertim Affensus & Fiducia ad Actum Fidei directum spectant, per quem homo non modo promissionibus Evangelii universalibus Fidem habet, sed eas quoque in se credente & resipiente impletum iri confidit; Actus reflexus vero ex Fidei sensu nascens, quo animus fidelis in se ipsum reflexus & Fidei suæ Actualis sibi conscientius concludit & scit se credere, in examine Conscientiae fidelium & exploratione Fidei locum habet, juxta præceptum Pauli, 2. Cor. 13, 5. Vos ipso stentate,

*eate, num sitis in fide : ipsi vos probate. Annon cognoscitur
vos met ipsis, quia Christus Jesus in vobis est, nisi forte reprobis estis.
Actus vero Consolationis, in hominis fidelis gaudio ac
pace ex remissionis peccatorum sensu orta consistens,
pertinet ad Fidei effectus ; de quibus infra.*

S. X.

*Objectum Fidei est vel Generale vel Speciale. Generale
est totum Dei Verbum, quod continet (1) Historias ; v.
g. Creationis, Nativitatis, Passionis, Mortis & Resur-
rectionis Christi. (2) Vaticinia (3) Dogmata (4) Præce-
pta (5) Promissiones & Comminationes. Quæ omnia
Fide recipienda sunt. Speciale est Doctrina de Iesu Christo
quod patet exemplo Philippi dicentis Act. 8, 37. 38. Credo
Filiū Dei esse Iesum Christum ; & Petri Matt. 16, 17 : Tu es Christus
Filius Dei vivi. Conf. Joh. 20, 30. Act. 9, 22. De qua
Fide i. Joh 5, 1. dicitur Omnis qui credit quia Iesus sit Christus
ex Deo natus est. Christus vero recipiendus est ut Pro-
pheta s. Doctor cœlestis à Deo Patre in terram missus,
qui è sinu Patris egressus voluntatem Dei Patris de
Salutis nostræ rationibus nobis plenissimè revelavit,
cujus proinde Doctrina ut divina amplectenda est, cum
certa spe, nos secundum regulam hanc incedendo salu-
tem promissam obtenturos esse. Nam sic Deus Pater
Filium suum recipiendum edixit : Deut. 18, 15. Pro-
phetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit
tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies. Matth. 3, 17. it. Matt.
17, 5. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene com-
placui : ipsum audite ! Joh. 3, 2. Nicodemus ait : Rabbi sci-
mus quia à Deo venisti Magister, nemo n. potest hæc signa facere,
qua tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Joh. 6, 29. Hoc est opus
Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Hebr. 1, 12. Multifa-
ciam, multisque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophe-*

ris: novissime, diebus istis locutus est nobis in filio. Hebr. 2, 1. 2. 3. Propterea abundantius oportet observare nos ea que audiimus, ne forte perefluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam retributionis mercedem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? qua cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est. Ut Sacerdos, qui victimâ corporis sui piaculari in cruce mactatâ, ac sanguine pro nobis effuso in cœleste Sanctuarium ingressus, sese pro nobis obtulerit, & continuò pro nobis interpellet, ad quem ut sufficientissimum Salvatorem omnium hominum & nostrum, tanq. Propitiatorium, sincerâ pœnitentiâ & Fide configiendum sit; Rom. 3, 25. Christum Jesum proposuit Deus propitiationem per Fidem in sanguine ipsius ad offensionem Justitia sue, propter remissionem præcedentium delictorum. Hebr. 4, 14. 15. 16. Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei: teneamus confessionem; Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine, absq; peccato. Adeamus ergo cum Fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus, in auxilio opportuno. & cap. 10, 21. 22. Habentes Sacerdotem magnum super domum Dei accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei. Joh. 1, 29. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Joh. 3, 14. 15. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam eternam. I. Joh. 2, I. 2. Si quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam protinus mundi. Ut Rex Cœlestis ac Dominus non solum Naturalis

turalis sed & Oeconomicus, qui suos non tantum contra hostes, Diabolū & Mundum defendit, sed & juxta normam Legum Regni sui spiritualis regit sibique subjecit, quique viētā morte assumptus in cœlum accepit potestatem in Cœlum & Terram Matth. 28, 18. de quo Petrus Act. 2, 36. *Hunc Jesum, quem vos crucifixistis, Deus fecit Dominum & Christum.* Act 5, 31. *Hunc principem & Salvatorem Deus exaltavit dexterā sua, ad dandum pœnitentiam Israëli & remissionem peccatorum.* In hunc Jesum propter peccata nostra morti traditum & propter justificationem nostram resuscitatum Rom. 4, 25. credendum esse docet Paulus Rom. 14, 9. *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuis & vivis dominetur;* & clarius Philip 2, 9. 10 II. Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu fleatur cœlestium, terrestrium & infernorum: Et omnis lingua confitatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Indeque est quod in Symbolo Apostolico profitemur nos credere in Jesum Christum Filium Dei unigenitum, Dominum nostrum: idque exemplo suo confirmavit Thomas Joh. 20, 28. dubitatione missâ Christum resuscitatum compellans: *Dominus meus & Deus meus.* BeneD. Witsius Oecon. Fœd. I. 3. c. 7. §. 23. *Quando Fidelis Anima Christum recipit, eique innititur, non considerat ipsum ut Servatorem duntaxat, sed etiam ut Dominum.* Recipit enim totum Christum & talis est qualis est; *Est autem non minus Dominus quam Servator;* Imò non potest esse Servator nisi & Dominus sit. Vide quoque Joh. Claude des Oeuvres Posthumes Tom 4 p. 12. it. Thom. Pierce Pacificat. Orthod Theol Corpusc. C. 20. § 7 p. m 199. Nisi tamen Fides hæc Practica sit, nihil nobis profutura est, teste ipso Christo Matth. 7, 21. *Non omnis qui mihi dicito Domine*

Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Luc. 6, 46. Quid vocatis me Domine, Domine; Et non facitis que dico: Qui cunque ergo practicè in hunc Dominum credent, remissionem peccatorum & Salutem impetrabunt. Nam Jer. 23, 6. hoc nomen est quo vocabunt ipsum, Dominus Iustitia nostra. Joël. 2, 32. & Rom. 10, 9. 13. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Dicit enim scriptura: Omnis, qui credit in illum non confundetur. Omnis enim quicunq[ue], invocaverit nomen Domini, salvus erit. Nec Christus solus pertinet ad Objectum Fidei Speciale, sed & Promissiones Evangelii credentibus & resipiscientibus factæ, quales sunt Ezech. 33, 11. Vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Joh. 3, 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Joh. 6, 40. Hec est Voluntas Patris mei, qui misit me: Ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die, Joh 8, 51. Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in eternum. Act. 4, 12. Nec aliud nomen datum est sub caelo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 10, 43. Huic omnes Prophetæ testimoniū perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credent in eum. Rom. 10, 9. 13. 1 Tim. 1, 15. &c. Formale Objectum s. Ratio & Fundamentum, propter quod credimus, non est fallibilis Auctoritas hominum, sed Infallibilis Auctoritas & Veracitas Dei loquentis, in quam proinde & resolutio Fidei fieri debet, tanquam in id quod intellectum ultimò ad assentiendum movet. Ps. 116, 11. & Rom. 3, 4. Omnis homo mendax 1. Cor. 2, 5.

Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.
Hebr. II, 1. Est Fides sperandarum substantia rerum, argumen-
tum non apparentium. it. v. 3. Joh. 9, 29. Nos scimus, quia
Mos⁹ locutus est Deus 2. Pet. 1, 20. 21. Hoc primum intelligen-
tes, quod omnis Prophetia scripture propria interpretatione non
fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophe-
tia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homi-
nes. Joh 20, 29. Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati
qui non viderunt, & crediderunt. Rom. 4, 18. 19. seqq. Abraham
cum ei dictum esset: Sic erit semen tuum (sicut stellæ cœli
& arena maris) non infirmatus est Fide, nec consideravit
corpus suum emortuum, cum jam ferè centum esset annorum,
& emortuam vulvam Saræ. In reprimisso etiam Dei non
hesitavit diffidentia, sed confortatus est Fide, dans gloriam
Deo: plenissime sciens, quia quicunque promisit, potens est
& facere it. i. Pet. 1, 8. Hinc apud Prophetas solenne
*est illud: *Dictum s. Verbum Domini vel: Sic dicit Dominus.**

Ex quibus non obscure patet, non quemvis Assen-
sum etiam rebus in Sacra Scriptura contentis adhi-
bitum, *Fidem Divinam censemus esse.* Nam si quis
dogma quoddam Religionis Christianæ v. gr. Creati-
onem hujus Universi, certo atque indubitate teneret,
Argumentis stringentibus, nō verò Revelatione, adeo-
que Divinâ Auctoritate ac Testimonio ductus, is Fi-
dem divinam proprie non haberet. Sic qui Mosis mi-
racula & Educationem Israëlitarum ex Ægypto per Ma-
re rubrum in terram Canaan firmiter crederet, Jose-
phi Historici Judaici, non autem Sacrarum literarum
Relatione motus, is taltem Fidem divinam non habe-
ret, sed potius humanam; *Quod & de illis affirmandum*
esset, qui Christianam Religionem, non Auctori-

tate ac Testimonio Parentum ac Majorum suorum impulsi, amplectentur; Cum Fides divina sit assensus firmus Deo loquenti adhibitus, propter Auctoritatem ac Veracitatem Divinā. Inde quoque manifestum est Fidei *Divine falsum subesse non posse*, (1) quia Deus, qui nos credere jubet *ἀψευδῆς* est Tit. 1, 2. proindeque non potest velle ut falsum pro verō habeam⁹, alias se ipsum, i.e. Veracitatem, Sinceritatē, Sanctitatem suam, abnegaret, quod tamen facere non potest 2 Tim. 2, 13. it. Hebr. 6, 18. (2) quia Objectum Fidei, quod est Verbum Dei, est verissimum, Joh. 17, 17. (3) quia Fides Divina fieret Principium deceptionis, & Verbum Dei nos obligaret ad credendum mendacio, quod absurdum est. Neque ulillum in contrarium afferri potest exemplum. *Adam* non absolutē sed conditionatē credere debuit, se æternum victurum esse, quam conditionem præstare debuit, quia à Deo fuit mandata; & quam præstare potuit, quia vires ad eam implendam sufficienes à Deo acceperat, quaque neglecta, promissione, in illo rerum ordine, excidebat. *Abraham* Gen. 22, 2. Præcepto Oeconomico & Conditionato, cui falsum non suberat, jubebatur filium suum offerre, i. e. ita se parare, operi accingere, atque omnia efficere, quæ ad immolandum Isaacum necessaria erant, eventum verō Deo committere, ut ita Fides, Obedientia ac Sinceritas ejus probaretur; quod & Scriptura & eventus apertè docuerunt. *Ezechias*, Jes. 38, 2. 5. credere jussus est, quod fuit verissimum, se mox moriturum esse, nisi precibus & lachrymis longiorem vitam à Deo expeteret. Denunciatio ergo ista non absoluta sed cum conditione precum & lachrymarum facta fuit. Neque *Ninivita* Jon. 3, 9. absolute, sed tantum conditionatē, nisi resipiscerent, credere debuerunt urbem

bem suam evertendam esse; quod & eventus probavit.

§. XI.

Motiva Externa sive Argumenta Credibilitatis sunt, Religionis verae Antiquitas, Mysteriorum Sublimitas, Doctrinæ ac Præceptorum Sanctitas, Miracula à Mose, Prophetis, Christo, ac discipulis ejus, in confirmationem Doctrinæ Christianæ, edita; Celeritas Propagacionis facta per Apostolos, homines rudes & pilatores, neque Imperatorum & Regum favore & Potentiâ, neque armis, neque opibus, neque Eloquentiâ humanâ aliisve præsidiis, sed sola cœlesti Virtute instructos & munitos; Prophetarum prædictio, Martyrum innumerablem Testimonium, Incrementum, Firmitas & Duratio Religionis in mediis persecutionibus, Infelix Exitus hostium & persecutorum, Testimonia ipsorum Exterorum, aliaque, quæ hominibus probis sufficiunt; Pertinaciæ autem Deus nullum posuit remedium.

§. XII.

Subjectum Fidei, in hoc rerum statu hacque Oeconomia, propriè non sunt (1) Angeli. Quamvis enim Deo loquenti s. voluntatem suam revelanti, propter summam Dei veritatem fidem habeant; In Christum tamen Mediatorem credere, vel ad Misericordiam Dei in Christo configere, nequeunt, quia Angeli Boni miseri non sunt; Malis autem spem veniae superesse, ex Dei Verbo demonstrari non potest. Neque (2) Protoplasti integri. Licet enim Adam⁹ integer omni Dei Verbo Statui Integritatis convenienti credere posset, actualis tamen Fides in Mediatorem, quo in Statu Innocentiae non indigebat, ei non conveniebat. Neque (3) Christus, ut Homo consideratus. Christus, ut potè innocentissimus & sanctissimus, tametsi quoad substantiam Co-

nitionis & quoad *Affensum* Verbo Dei præbitum ; quin quoad *Fiduciam* quatenus in Dei Bonitatem, de necef-
sariis bonis nobis prospicientem, recumbit, in statu
Exinanitionis, credidisse, vel credere potuisse, dici pos-
sit ; attamen Fides Christo non competit, quatenus est
fiducialis Misericordiae Divinæ apprehensio, quia ita
spectata peccatoribus tantum convenit ; nec respectu
Modi cognitionis, quod ad ænigmatis obscuritatem,
2. Cor. 13, 9. 12. 2 Cor. 5, 7. Christo tribui potest : hoc
namque infert imperfectionem, quæ in Christo pro-
pter Unionem cum $\lambda\delta\gamma\omega$ locum non habet. Subjectum
ergò *Denominationis* Fidei Justificantis sunt *Homines la-
psi*, *Vocati* & *Gratia Dei Præveniente* ac *Præparante* do-
nati, *Viatores*. *Peccatores* namque Mediatore & Pœnit-
tentia ac Fide indigent, teste Christo Matth 9, 12. 13. *Non
opus est valentibus Medicus, sed male habentiibus.* Non veni-
dare justos sed peccatores. 1. Tim. 1, 15. *Fidelis sermo* &
*omni acceptatione dignus, quod f. C. venit in hunc mundum pec-
catores salvos facere* ; & his sine *Vocatione* per Verbum cre-
dere nequeunt, Rom 10, 15. *Quomodo credent ei, de quo non
audierunt?* Neque *Comprehensores*, sed *Viatores* Fide
opus habent, 1. Cor. 13, 12. *Videmus nunc per speculum in
enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Nunc cognosco ex par-
te : tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. 2. Cor. 5,
7. Per *Fidem enim ambulamus*, & non per speciem. Et
quia, docente Paulo Rom. 10, 17. *Fides ex Auditu est*, in-
de apparet, saltem haec tenus, Fidem *Adulorum* esse,
quatenus Fides Notitiam Verbi, *Affensum* Verbo præ-
bendum & *Fiduciam* requirit ; idque eò magis, quia
sacræ literæ ipsæ infantibus notitiam *inter dextram & Si-
nistram* negant Jon. 4, 11. Deut. 1, 39. Es. 7, 16. 1 Cor. 14, 20.
Cujus intuitu Augustinus Ep. 57. scribit : *Nescire divina
parvulos, qui nec humana adhuc norunt, si verbis vel mus o-
sten-*

stendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere injuriam vide-
 amur, quando id loquendo suadere studemus, ubi omnes vires,
 officiumq; sermonis facilissime superat evidentia veritatis. Alias
 notæ sunt diversæ de Fide Infantum Sententiæ. Men-
 nonitæ, Sociniani & Remonstrantes infantibus Fidem
 simpliciter negant, cum Doctrinæ & Fidei Incapaces
 sint, eaq; de causa eos à Baptismo arcent. Catech. Racov.
 Sect. 6 C. 3 p. m. 118. Socinus Disp. de statu Primi Hom. cō-
 tra Franc. Pucc. c. 10 p. 311. 327. Idem in Libello Suasor.
 ad Evangelicos Polon & Lithvan. c. 4 p. 52 Slichting.
 pro Socino cont. Meisnerum de Trinit. & Bapt. &c. p.
 901. ad 918. Smalcius Refut. Thef. Frantz. Disp. 5. p. 161.
 192. it. Disp. 10 p. 310. 324. Remonstrant. Apolog. fol. 84.
 Curcell. Rel. Christ. Instit. l. 7 C. 8. §. 11 p. 468. Econ-
 trario Lutherani Theologi plerique Infantibus baptiza-
 tis Fidem actualem tribuunt, hancque in Baptismo ac-
 cendi volunt. Quenstedt Syst. Theol. Part. 4. C. 5 Sect.
 2. qu. 8 p. 147. seqq. Pontificii Fidem Habitualem in-
 fantibus vindicant. Concil. Trident. Sess. 7. de Bapt.
 Can. 13. Bellarm. de Sacr. Bapt. l. 1. c. 10. & 11. Becanus
 Manual. Controv. l. 2. C. 2. §. 15 p. m. 490. seqq. Refor-
 mati plerique parum absunt à Romano Catholicorum
 sententia dum Infantibus semen fidei; Radicem s. Ha-
 bitum & Actum primum fidei, Fidem in femente, vel in-
 clinatione, tribuunt, & Fidem actualem quidem iisdem
 negat, defectum tamen ejus Fidem Ecclesiæ, parentū &
 Susceptorum, qui infantibus Cor, pedes & linguam q;.
 commoden, supplere statuunt ex Augustin. Serm. 10.
 de Verbis Apoītoli. Cui sententiæ etiam acceserunt
 ex Lutheranis Theologis D. Georg. Calixtus & Brand.
 Dætrius Disputat. de Baptismo §. 171. 192. Idem Ca-
 lixtus in Append. ad Quæst. de Myster. Trinit. §. 30.

Conr. Hornejus Disputat. Theol. 2. de Prædestinat.
 Sect. 1. Th. 21. Latermannus de Prædest. Th. 54. Joach.
 Hildebrand. Instit. Sacr. C. 18 n. 43. Theoph. Großge-
 bauer in der Wächter Stimme/ Tract. von der Wieder-
 geburt C. 5. §. 18. 20. pag. 487-489. seqq. qui & adducit
 ipsum Lutherum Tom. 4. Jenens. Germ. fol. 328. 329.
 Notabilia quoq; sūt verba Chemnitii Exam. Cōcil. Trid.
 Part. 2. ad Sess. 7. Can. 13. p. m. 245 *Ego sanè qui simplicitatem*
amo, etiam si nec intelligam nec explicare possim, quomodo in-
fantes qui baptizantur credant; Judico tamen sufficere firmis-
sima illa testimonia supra explicata, infantes esse baptizan-
dos. Neque enim ab illis propterea discedendum est, si non pos-
sim vel intelligere, vel explicare, quomodo credant infantes.
 ibid. p. 247. Tridentini anathemate damnant, si quis dixerit
parvulos, qui baptizantur, habere actum credendi. Quod si in-
telligent actum credendi sicut supra in Augustini sententia
explicavimus, non pugno. Si vero hāc particulā simpliciter
negare volunt, in parvulis qui baptizantur, omnem actionem
& operationem Spiritus Sancti: certe contradicendum est. Vi-
ce versā etiam Reformati quidam Fidem aliquam Actu-
alem Infantibus concedunt; quos inter est Alstedius
 Theol. Cas. Conscient. C. 26. p. 489. 490. Wittichius
ex hypothesi Cartesiana sentit, Spiritū Sanctū in Infantibus
posse operari cogitationes, quibus Objectum Salutis, quantum id
requiritur, apprehendant; nec servari infantes citra ullum
suum actum, licet forte non sit talis, qualis est in nobis adul-
tis, resipiscētia & Fidei. Theol. Pacif. c. II. §. 137. p. 106.
 107. Braun. Doctrin. Fœd. loc. II. c. 8. §. 23. p. m. 433.
 434. & omnium acutissimè B. Dn. D. Grebeniz ac Dn.
 D. Strimesius, tunc Theologiæ Candidatus, Tractat.
 de Regeneratione Disp. 3. de Præparatione, Sect. 2. Sub-
 sect. 2. §. 3. 7. 8. seqq. Certum est I. Infantes baptiza-
 tos

tos in Baptismo regenerari, à peccatô absolvî, in filios adoptari, pro modulo ætatis sanctificari, Spiritu S. donari & Candidatos æternæ salutis fieri. Vid. Præsidis *Dissertat. de Baptismo Judaico-Christian.* §. 21. II. Nec minus certum est inter Pontificios & Protestantes, Fidem aliquam fidelium Infantibus baptizatis tribui posse & debere. Matth. 18, 6. & quia salvantur. III. An verò illa Fides sit habitualis vel actualis, Scriptura totidem verbis non definit. IV. Quædam loca pro Fide actuali citari solita, nullam Fidei mentionem faciunt, qualia sunt, Luc. 18, 15. 16. 17. & Marc. 10, 16. Afferebant ad illum & infantes, (βέβην) ut eos tangeret. Quodcum viserent discipuli, increpabant illos. Jesus autem convocans illos, dixit: *Sinite pueros venire ad me, & nolite detare eos, regnum enim regnum Dei.* ap. Marcum cap. 6. additur: Complexans (ἐναγκάλεσσεν) eos, & imponens manus super illos, benedicebat illos. Ubi alia historia refertur ab ea, quæ narratur Matth. 18, 1. ad 7. De voce Θρέφει observandum quoque, quod 2 Tim. 8. v. 15. Timotheus dicatur *Sacras litteras domino Θρέφει ab infantia*, i. e. ab ineunte ætate nosse; & fideles 1. Pet. 2, 2. appellantur ἀρνιγένηται Θρέφει sicut modo geniti infantes. V. Matth. 18, 6. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt. (1.) Per πυρητὰς pusillos, non absurdè intelligi possunt simplices atque humiles, adeoq; non ætatem sed animi demissione pusilli. (2.) Parvulus v. 2. in medio discipulorum constitutus, Græcè παιδίον vocatur atque à Christo adlocutus seu accersitus fuit; quod de Infante seu lactente intelligi nequit, quod ex locis N. T. ubi hæc vox occurrat, patet. v. g. Matth. 11, 16. 17. *Similis est generatio ista pueris* (παιδαρίοις) *sedentibus in foro, qui clamantes, coquilibus discunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus,*

& vnu

vii

& non planxitis. Quod Luc. 7,32. ita effertur: *Similes sunt pueris (paucioris) sedentibus in foro.* &c. (3.) Sermo hic est de pusillis, qui scandalizari s. offendit possunt, quod de Infantibus propriè dictis dici non potest. Quæ omnia simplex hujus historiæ, verbis Evangelistæ facta, recitatio confirmat: *In illa hora acceserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, maior est in regno cœlorum?* Et advo-
cans Jesus parvulum, statuit cum in medio eorum, & dixit: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut par-
vuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quicunq; ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola astinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. VI. Neq; locus Psal. 8,3. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Fidem actualem indubitatò evincit: Nam ne dicamus, infantes hosce Deum occasionaliter, materialiter & ob-
jectivè laudare, quia materiam laudis divinæ præbent, notamus tantum, hæc Davidis verba Matth. 21,16. grandioribus pueris applicari, qui Christo Hosanna acclamauerunt, qui sanè Infantes non fuerunt. VII. Interim quia *Infantium est regnum cœlorum*, Matth. 19. v. 14. Marc. 10, 14. Luc. 18,16. Regnum cœlorum verò sine Fide non possidetur, Marc. 16,16. Joh. 3,16. indè meritò concludimus, Fidem Infantibus non simpliciter negan-
dam, sed tribuendam esse; licet præcise nesciam⁹ qualis sit illa Fides, & quomodo in Infantibus producatur. Licebit h̄c apponere verba Augustini ex Epist. 23. ad Bonitacum Episc. *Itaq; parvulum, et si non fides illa, que in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius Fidei Sacra-
mentū fidelem facit.* & Serm. 10. De Verbis Domini: Portan-

tur

tur ad Ecclesiam, & si pedib⁹ illuc currere non possunt, alienis pe-
dibus currunt, ut sanentur. Accommodat illis Mater Ecclesia a-
liorum pedes, ut veniant: aliorum corda, ut credant: aliorum
linguam, ut fateantur: ut quoniam quoad egri sunt, alio pec-
cante pragabantur: sic cum hi sani sunt, alio pro illis con-
fitente, salventur. Quandoquidem verò Adulti multi Gra-
tiæ Divinæ Operationibus, exemplo Judæorum, Act.
7, 51. ac Spiritui Sancto malitiosè resistunt & converti no-
lunt Matth. 23, 37. sed vocati venire renuunt, Prov. 1,
24. Matth. 22. Luc. 14. adeoque Vocem Dei audientes
corda sua obdurant, Ps. 95, 8. Indè Fides non est omnium,
2. Thess. 3, 2. sed Electorum Dei, Tit. 1, 1. quorum corda
Fides purificat, Act. 15, 9. & mundum vincit, 1. Joh. 5, 4. &
novas Creaturas facit, 2. Cor. 5, 17. conf. 2. Cor. 7, 1. Præter
hos non pauci adtemp⁹ credunt; de quib⁹ infrā. Dispositi-
ones Animi ad Fidem concipiendam requisitæ; quales
sunt: 1. Docilitas. 2. Mansuetudo. 3. Humilitas. 4. Im-
munitas à Carnalibus Cupiditatibus, &c. non sunt fru-
ctus corruptæ nostræ naturæ, sed Gratia Prævenientis
ac Præparantis, quorsum spectant verba Christi Joh. 7, 17
Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de Doctrina
mea, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Joh. 8, 47.
Qui ex Deo est, verba Dei audit; idcirco vos non auditis, quia
ex Deo non estis. Matth. 5, 4. Beati mites, quoniam ipsi pos-
siderebunt terram. Matth. 11, 29. Disite à me, quia mitis sum
& humilis corde. Joh. 5, 44. Quomodo vos potestis credere,
qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, qua à solo Deo
est, non queritis. Jac. 3, 17. Qua desursum est Sapientia,
primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta,
suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus
bonis, non judicans, sine simulatione. Joh. 3, 20. 21. Omnis
qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non
arguantur opera ejus; Qui autem facit veritatem,
venit

venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in DEO facta sunt. Cujus rei Exempla sunt Act. 8, 27. seqq. Evnuchus Actor. 10, 1. seqq. Cornelius. Act. 17, II. 12. Berhoenses. *Subjectum Inhaesonis Fidei, praeclite spectatæ, secundum Scholæ Romanae Theologos, tam Thomistæ, quam Scotistas, est Intellectus, sed ita, ut Actus Assensus sit à Voluntate imperatus.* Vid. Gonet. Clypei Theol. Thomist. Tom. 4. Tractat. 10. Disp. 6. Artic. I. p. 299. 300. & Boyvin. Theol. Scoti. Part. 4. Tractat. I. Disp. I. C. I. qu. 3. p. 16. 17. Bellarm. de Justif. lib. I. c. 4. seq. p.m. 820. 822. seqq. Quos sequuntur ex Reformatis, Rob. Baronius Philoſ Theologiæ Ancillante Exerc. 3. Artic. 21. n. 5. Wilh. Forbesius in Considerat. Modest. & Pacif. Controv. de Justif. cap. 2. § 5. 9. p. m. 5. 7. 8. Petrus Molinæus Fil. Thes de Fide Justific. part. 2. Thes. 18. 19. Lud. le Blanc. Thes. Theol. de Fide p. 5. Thes 27. 28. 29. & Thesib. de Subjecto Fidei pag. 249. Th. 7. 8. 9. Tilenus Disput. de Fide Justif. Amyraldus Thes. de Fide Part. I. Thes. 15. seqq. qui tamen contra Scholasticos plerosque putat, ad Actum internum Fidei seu Assentum non requiri piam motionem Voluntatis, docetq; in Thes. de Causâ Fidei, *Fidem necessariò oriri, & produci ex appulsiu Objeci, id est, Doctrina Evangelica, ad Intellectum rite affeclum, atq; dispositum per immunitatam Spiritus Sancti Operationem* Quâ in re sequitur Holcot. in I. qu. I. art. I. & Pic. Mirand. in Apolog. qn. 8. & ex parte Scotum, qui tamen docet, sufficere ad Actum Fidei, ut Voluntas ad illum merè negativè se habeat, seu illi non resistat. *Theologi illi Reformati, qui Cartesii placita in Phylosophicis sequuntur, solam Voluntatem Subjectum Inhaesonis Fidei esse volunt;* quia Notitiam, antecedens Fidei, non vero partem ejus faciunt & Judicium non ad Intellectum, sed

ad

ad Voluntatē referunt : quos inter sūnt Burmann. Synopf. Theol. lib. 6. cap. 4. §. 28. p. m. 190. Braun. Doctr. Fœd. Loc. II. c. 8. §. 9. 26. p. m. 426. 434. Quibus non multum absimilia, ex aliis tamen hypothesibus, docuerat Amesius Medull. Theol. lib. 2. c. 5. §. 12 p. m. 226 & in Bellarmin. Enerv. Tom. 4. lib. 5. c. 1. pag. 93. Quorum Sententiam nos non possumus probare. Alii verò Evangelici, tam Reformati, quam Lutherani, communiter statuunt : *Subjectum Inhesionis*, respectu Notitiae & Assensus, esse *Intellectum*, respectu autem Fiduciæ *Voluntatem*, adeoq; Fidem Facultati utrique, velut Subjecto inesse. Disensus Theologorum illorum, qui Fidem in solo Intellectu ; & eorum qui Fidem partem in Intellectu, partem in Voluntate collocant, conciliari posse videtur Distinctione. Sumitur enim *Fides*, vel *precisè*, *absolutè* & *in se*, prout Charitati & Spei opponitur five contradicting vitur, atque hoc sensu Fides est simplex unusque Habitus, neq; quidquam aliud est, quam firmus Assensus, quem præbemus Deo Sapientissimo & Veracissimo, in Verbo suo loquenti, sicque accepta pertinet ad Intellectum, cuius est assensum præbere Veritati; vel sumitur *Complexè* pro Aggregato quodam plurium Actuum & habituum, quod, præter Assensum, Fiduciam, Amorem Dei, & Acquiescentiam in Deo Salvatore nostro ejusq; favore ac Salute, includit. Hæcq; est Fides illa, quam Paulus Gal. 5, 6. *Fidem, qua per Charitatem operatur*; Evangelici *Vivam, Justificantem ac Salvificam*; Romano-Catholici verò *Formatam*, appellant, atque hanc non soli Intellectui, sed & Voluntati inhærere utrinque in confessio est. Vid. Leidens. Synopf. Pur. Theol. Disp. 31. Th. 16. Lud. le Blanc. Thes. Theol. de Fidei Justific. Natura & Essent. Th. 95. it. de *Subjecto Fidei* p. 251. Th. 22. 23.

Turrettin. Institut. Theol. Elencht. Loc. 15. qu. 8. §. 13.
 D. Witsius Oecon Fœder. lib. 3. c. 7. §. 1. Indeq; patet
 Protestantes falsò absurditatis accusari, quod Fidem,
 non Dogmaticam; sed Justificantem ad utramq; animæ
 Facultatem referant. Nam (1) Intellectus & Volun-
 tas non realiter sed formaliter tantum differunt; cum
 eadem Anima cognoscens & intelligens Intellectus; Vo-
 lens verò, unumq; præ alio eligens, Voluntas vocetur.
 (2) cum plura sint tam in naturalib⁹, quam in moralib⁹,
 quæ utramq; Facultatem occupant. In naturalibus Li-
 berum Arbitrium radicaliter ad Intellectum; Formaliter
 ad Voluntatem: In moralibus, Imago Dei partem ad
 Intellectum, partem ad Voluntatem spectat. (3.) Se-
 cundum communem Scholæ Romanae sententiam Fi-
 des Formata non solum Intellectui sed & Voluntati in-
 hæreat. Notanda quoq; sunt verba Cardinalis Conta-
 reni in Tract. de Justif. *Fides incipit à Voluntate, que Ob-
 diens Deo & Fidei, efficit ut Intellectus assentiatur, absq; ha-
 fitatione, traditis à Deo, & ideo promissionibus divinis confi-
 dat, & concipiatur ex illis firmam Fiduciam, que pertinet ad
 Voluntatem; ut quasi circulo quodam incipiat à Voluntate,*
hac Fides, & desinat in Voluntatem. Item Cardinalis Ca-
 jetani in Joh. 6. Credere in Deum, est credendo confidere, &
 tendere in Deum, quod continet in se actum Intellectus & Vo-
 luntatis. Bonaventura in 3. Sent. Dist. 23. *Fides est quo-
 dammodo in potentia cognitiva, & quodammodo in potentia
 affectiva; qui & addit, Fidem, ut est Virtus, & principium
 meriti, respicere liberum arbitrium, ut Subjectum.*

§. XIII.

*Forma Fidei Justificantis, ratione Notitie, est ap-
 prehensio, Objecti credendi, intellectualis; ratione As-
 sensus, ejusdem Objecti generalis & specialis receptio
 appro-*

approbativa; ratione *Fiducie*, individualis Promissio-
num Evangelicarum, corde contrito facta, applicatio.
Secundum *Socinianos* Forma Fidei in Christum est, sub
spe vitæ æternæ præceptorum Christi talis Observatio,
ut secundum Spiritum ambulemus. Vid. Socin. Tract.
de Justif. p. m. 11. id. in Libello suasor. ad Evangel. Po-
lon. & Lithvan. c. 2 p. 21. 22. it. de Fide & Operib. p.m.
120. 121 ad 130. Jon. Slichting Disp. 2. pro Socino contr.
Meisn. p. 307 ad 333. Smalcius Refut. Thes. Frantz p.
m. 136. 184. 186. 203. 218. 219. Volkel. de verâ Rel. l. 4.
c. 3. p. 177. 178. quin volunt opera & Pietatem Animam &
Formam esse Fidei. Ita enim Socinus Miscellan. p. 162.
Opera non modo à Fide quâ justificamur, separari nequeunt,
ut ipse confiteris, sed *Anima seu Forma quedam ac vita ejus*
Fidei sunt. Id. de fide & Oper. fol. 55. *Opera ipsa justifi-*
cant, quatenus exsecutio sunt & perfectio & tanquam Forma
ipsius Fidei. Smalcius Ref. Thes. Frantz. Disp. 10. p. 450.
Quemadmodum anima non est secundarium hominis, sed essen-
tiale & formale: ita opera vel Pietas Christiana ipsa sunt Fi-
dei Christianæ Forma & Essentia. Quibus obstat (1) Di-
veria Fidei & Operum definitio. Nam Fidei definitio
Hebr. 11, 1. tradita obedientiæ & operibus applicari non
potest; cum Obedientia sit conformitas actionum no-
strarum cum lege divina ex Fide præstata; & Opera
sint actiones Fidelium ad normam legis factæ. (2) Fi-
des est causa, Opera verò sunt effectus & fructus Matth.
3, 8 10. Cum itaque dici nequeat, quod causa sit effe-
ctus, arbor sit fructus, dici quoque non potest Fidem
& Opera esse unum idemque. (3) Fides Operibus con-
tradistinguitur in Justificationis Articulo. Rom. 4, 5.
Gal. 2, 26. Eph. 2, 8. 9 Ergo non sunt prorsus eadem.
(4) Paulus & Jacobus Fidem ab Operibus, & Opera à

Fide distingvunt v.gr Gal. 5, 6. *Fides per Charitatem operatur.* 1. Cor. 13, 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas.* Jac. 2, 17. *Fides si Opera non habuerit, mortua est per se* v.18. *Ostende mibi Fidem tuam ex Operibus tuis &c.*(5) Quæ de Objecto Fidei supra docuimus Operibus s. Pietati & Obedientiæ, prout hic accipitur, non convenient. Evidem Fides rectè *Obedientia* vocatur, quat. Intellectus à pio Voluntatis motu & pia quadam Affectione, per Gratiam Dei producta, in obsequium fidei captivatur, ut missis dubitandi rationibus, quas Diabolus, Mundus & Caro nostra saepe suggesterunt, Argumentorum pro Dei Causa adductorum pondus & momentum agnoscat, judicetq; & credat verum esse quod ad credendum proponitur: Unde Fidem veram respectu Originis suæ à Voluntate pendere, indeque laude ac præmio donari 1. Pet. 1, 8. præter Scholasticos, docent Chamier. Panstrat. Tom. 3. lib. 12. c. 4. n. 6. 7. seqq. Lud. le Blanc Thes. Theol. de Subjecto Fidei p. 251. 252. Th. 18. ad 27. qui & hæc Augustini ex Tract. 26. in Joh. & ex Thoma Aquin. laudant: *Cetera potest homo nolens, sed credere non nisi volens;* Verum non de hac *Obedientia Fidei* qua Dei Verbo credimus, sed de *Obedientia Operum seu Legali* est quæstio cum Socinianis. Cautius ergo Remonstrantes Obedientiam consequens Fidei, seu potius, immediatum Fidei Effectum, faciunt. Vide Phil. à Limborch. Theol. Christ. lib. 5. c. 10. §. 1. *Romane Ecclesie Doctores* admittunt quidem Fidem habere suam Formam internam, eamque esse Assensum firmum, toti Verbo Dei præbitum, quæ Fidei simpliciter & in se spectatæ Essentiam constituant. Requirunt tamen ad fidem justificantem *Formam externam*, quæ externum & respectivum Esse Fidei tribuat: sc. ut ad salutem

litem æternam prospicit & meritoria sit vitæ æternæ. Ita Gregorius de Valentia Tom. 3. Commentar. in Summam Theol. Thom. Disp. 1. qu. 4. Punct. 3. Theologi affirmant, *Fidem à charitate tanquam à Forma perfici*. Nec tamen sentiunt, quod Charitas proprie sit Forma Fidei, aut essentialis, ut anima dicitur forma hominis, aut accidentalis & extrinseca, ut albedo Corporis. Hoc enim falsum esse, ex coperispicuum est, quod Charitas & Fides sint duas virtutes specie distinctæ, que duas diversas potentias perficiunt. Solum igitur volunt Theologi, Charitatem, quoniam perfectionem aliquam addit Fidei, metaphorice dici posse formam ipsius; Secundum analogiam videlicet ad formam propriæ dictam, qua suo modo subjectum perficit. Verum cum 1. ipsimet fateantur, Fidem habere suam internam Formam (à qua proinde melius Formata, quam à Charitate ita appellaretur) adeoque, etiam præcise à Charitate considerata, informis non sit. 2. Scriptura Mortuæ & Vivæ quidem Formatæ autem & informis Fidei non meminerit. 3. Fidei vox ipsa Meritum excludat; Inde Protestantibus vicio verti non potest, quod hæc aliaque contra hanc Distinctionem monuerint. Alias non desunt Theologi Reformati pacifici, qui *Fidem Formatam* pro Fide viva, *Informem* vero pro Mortua acceptam, non improbarunt, sed excusarunt. His præivit Moderatis Mart. Bucerius in Comment. in Ps. 2. ubi in Edit. Argentorat. An. 1529. ita scribit: *Non possum non sanius judicum optare quibusdam qui hoc nostro seculo plurimos admodum turbarunt hoc Paradoxo: Sola nos fide salvare; cum dicerent tamen hoc ederat ac si justitiam sola animi existimatione finirent. Et bona opera se studerent. Que jam illa Charitas, que huic malo uno verbulo mederi dignetur, ut diceret Fide Formatæ justificamur: aut, per fidem bonorum operum voluntatem, ac statu-*
ssitam

scitiam consequimur, aut fides fundamentum & radix est iusta vita, ut Augustinus dixit. Neg. veris enim quisquam offendendus est. &c. In horum numero quoq; est Wilh. Forbesius Consideratt. Modest. & Pacif. Controv. de Justif. c.3.n 15.p.m.16.it. Lud. le Blanc. Thes. Theol. de Fidei Justif. Nat. & Essent. Part. 2. Th. 47. p. m. 245. Et D. Georg. Bullus Harmon. Apostol. Dissert. Poster. c. 2. n. 8. p 67. 68. & Exam. Censur. p. 14. ad 21.

§. XIV.

Finis Fidei est æterna Salus Joh. 3,16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 1 Pet. 1,9. Reportantes finem fidei vestre, salutem animarum. Act. 10,31. Crede in Dominum JESUM & salvus eris tu, & Domus tua. Conf. Rom. 10,9. §. XV.

Effectus Fidei immediatus sunt Opera interna, Amor Dei & proximi, quæ à verâ Fide, tanquam Lux à Sole, emanant & veluti fructus è radice propullulant. Mediatus Effectus sunt Opera externa & obedientia præceptis Dei præstata Gal. 5,6. In Christo JESU neg. circumcisio aliquid valet, neg. præputium: sed Fides, que per Charitatem operatur. 1. Cor. 13, 2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Jac 2,14. Quid proderit Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? v. 22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides consummata est. v. 26. Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Act. 15,9. Fide purificantur corda credentium. 2. Cor. 5,17. Si quis est in Christo JESU nova est creatura. 1. Joh. 2. 4. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Fieri enim non potest, quin quisquis Doctrinam Evangelii

gelii ejusque Promissiones, credentibus & resipiscentibus factas, verâ fide recipit, ut §. 10. dictum est, peccatis nuncium mittat, ac se totum Christo ejusq; Spiritui regendum tradat, totusq; immutetur; I. Joh. 3, 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est.* Matth. 16, 24. *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum,* & tollat crucem suam, & sequatur me. Gal. 5, 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitio & concupiscentiis.* 2. Tim. 2, 19. *Discedat ab iniuritate, omnis qui nominat nomen Domini.* Cujusmodi Fidei Exempla inter alios præbuerunt in Vet. T. *Abrahamus*, qui Deo Gen 12, 1. vocati credidit, & Patriā, cognatos amicos coñoda sine tergiversatione deseruit, Gen. 15, 6. Deoq; semen sibi centenario ex Sara nonagenaria promittenti *contra spem in spem sine hesitatione credidit, dans gloriam Deo plenissimè sciens, quia quacunque promisit, potens esset & facere.* Rom. 4, 18. seqq. mactationem filii quoque præcipienti obtemperare volait, firmiter perswasus, quod Isacum a mortuis suscitare posset Deus. Hebr. 11, 19. Et Moses, qui Hebr. 11, 24. seqq. grandis factus, negavit se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, maiores dixitias astimans thesauro Aegyptiorum, impropterum Christi, aspiciebat enim remunerationem, & in N. T. Paulus Gal. 2, 20 inquiens: *Vivo jam non ego: vivit vero in me Christus.* II. Effectus est *Justificatio & Remissio peccatorum*, ad quam Fides concurrit, tanquam Medium ab hominibus requisitum: Act. 10, 43. *Huic omnes Propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credent in eum.* Rom 3, 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus.* C. 4, 5. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad Justitiam,* Galat.

2, 16. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi: Et nos in Christu Iesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, Et non ex operibus legis.* Rom 5, 1.
Justificati fide, pacem habemus ad Deum. It. Act. 13, 38-39. Phil. 3, 9. III. *Adoptio:* Joh. 1, 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem, Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Galat. 3, 26. *Omnis filii Dei estis per fidem, que est in Christo Iesu.* IV. *Unitio fidelium cum Christo.* Joh. 14, 23. Eph. 3, 17. Joh. 6, 57. V. *Pax Confessio.* Rom 5, 1. VI. *Confessio seu Professio Fidei,* ut pote Actus ejus externus merito etiam inter Effectus numeratur. Hanc necessariam esse dubitare nos non sinunt Scripturæ loca, Matth. 10, 32 cui parallela sūt Marc. 8, 38. Luc. 10, 26. It. Rom. 10, 9. 10. I. Petr. 3, 15. Exemplum exstat Dan. 6, 10. & 2. Mac. 6, 26. Duplex verò est Praeceptum; alterum *negativum* de fide non neganda, nihilq; exterius agendo, quod fidei repugnet; alterum *affirmativum*, de fide exterius profitenda. Prius obligat semper, ac proinde graviter peccat, qui externe fidem negat, quamvis eam in corde habeat; quod tenendum contra Hellecitas, qui teste Euseb. Cæsar. Histor. Eccl. lib. 6. c. 28. docebant peccatum non esse, fidem externe negare, præsertim persecutionis tempore, atq; ad gravia tormenta vitanda, modo Fides in corde retineretur. It. contra Priscillianistas, quibus vulgarum illud tribuitur: *Jura, perjura, secretum prodere noli;* teste Augustin de Hæres. c. 20. Posterius verò s. Praeceptum *affirmativum* non semper obligat fideles, sed tunc demum, quando spes affulget, Confessionem nostram in gloriam Dei & ædificationem proximi cessuram.

§. XVI.

Adjuncta Fidei sunt I. Unitas Ephes 4, 5. Una fides. Quamvis enim Subjectivè quilibet fidelis suam fidem habeat.

beat. Unde Hab. 2, 4. *Justus in fide sua vivet.* *Objectivè*
tamen una tantum est Fides. Quo respicit Joh. Owenus
Epigr. lib. I. n. 43.

Plurima apud Veteres Fidei sit nulla fiderunt

Mentio; Prisorum nam fuit una Fides.

Qui tamen queritur ibid. lib. 3. n. 182.

Dividitur totus partes in quatuor Orbis:

Orbis quot partes sunt tot in Orbe Fides.

Ubi ad Judaicam, Ethnicam, Muhammedanam & Christianam Religionē digitum intendit. Dolendum verò est, in unica Christiana Fide, non quatuor, sed multò plures Sectas numerari. II. *Necessitas.* Hebr. II. v. 6. *Sine Fide impossibile est Deo placere.* It. Joh. 3, 16. 17. 18. Actor. 4, 12. I. Joh. 5, 12. Quod etiam, hic §. 14. 15. de fine & Effectibus Fidei confirmatur. III. *Firmitas vel Infirmitas.* Respectu Graduum Fides est vel *Infirma* & *Exigua*, vel *Firma* & *Magna*. *Infirma* & *Exigua* vel ratione *Notitia* talis est: atque hoc sensu non solum Nicodemi Fides initio exigua erat, quare Joh 3, 2. noctu ad Christum venit, ex meru Judæorum; Sed & ipsorum Apostolorum, qui, cum Luc. 18, 34. seqq. Christus mortem suam ipsis significaret, nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, que dicebantur. Ipse Petrus quoque, cum Jesus Matth. 16, 21. 22. 23. doceret, se multa passurum esse a Senioribus & Scribis atque Principibus Sacerdotum, & occidendum & tertia die resurrecturum, exiguum fidem suam prodebat dicens: *Abiit a Te Domine, non erit Tibi hoc; quem eo nomine Christus reprehendebat: Vade post me, Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea que Dei sunt, sed ea, que hominum.* Ex falsâ opinione regni Christi terreni mater filiorum Zebedai. Matth. 20, 21. rogabat, ut alter filiorum ad dextram, alter

*ad finitā Christi federet. Imo post Resurrectionē Christi
Luc. 24, 21. Discipuli Emauntici infirmam fidem suam
testabantur his verbis: Nos autem sperabamus, quia ipse
esset redempturus Israel, & nunc super hac omnia, tertius di-
es est hodie, quod hac facta sunt, it. Act. 1, 6. Ad hanc clas-
sem pertinebant Hebræi illi, quibus Apostolus expro-
brat Hebr. 5, 12. Quod cum deberent, propter tempus ma-
gistrī esse, rursus indigerent, ut docerentur, quae sint elementa
exordii sermonum Dei, & latè opus haberent, non cibo soli-
do. It. qui ex Ignorantia libertatis Christianæ a cere-
moniis legalibus Rom. 14, 2. infirmi manducabant olera
& v. 5. judicabant inter diem & diem. Respectu Assensus,
Fides Infirma est, quæ difficulter in verbo Dei reve-
latis Assensum præbet. Quali Infirmitate fidei labora-
bat Martha Lazari soror Joh. 11, 21. seqq. quæ ægre cre-
dere potuit, Lazarum ope Christi revicturum esse. It.
Apostoli, ac inter eos Thomas, qui ægre Fidem Re-
surrectionis Christi admittebat, ut patet ex ejus verbis:
Joh. 20, 25. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum,
& mittam digitum meum in locum clavorum & mittam ma-
num meam in latus ejus, non credam.* Talis est & eorum,
qui Eph. 4, 14. fluctuantes sunt, & quovis Doctrina vento
circumferuntur. Ratione Fiduciae Fides exigua est, quæ
in rebus adversis & difficultatibus, non nisi difficulter,
Deo confidit, ac animum ferè despondet. Cujus Ex-
emplum præbuerunt discipuli Christi, Matth. 8, 24. seqq.
in magna tempestate maris, dormiente Christo, con-
stituti, qui metu perculsi, Christum excitabant, dicen-
tes: *Domine salva nos, perimus.* Quo nomine à Christo
σῶσον vocabantur. Talis fuit fides Petri, Math. 14.
v. 28. 30. ambulantis super aquam, & Christum allo-
quentis: *Domine salvum me fac.* It. Patris lunatici Marc.*

9,23. Christo respondentis : *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* His opponuntur firma, magna ac viva Fide prædicti, & quidem respectu Notitie, qui prima elementa religionis prætervecti majores in Cognitione Doctrinæ Christianæ progressus ficerunt; quales Heb. 5,14. dicuntur, *habere sensus exercitatos ad discretionem boni ac mali,* & Col. 2,2. *Instructi in Charitate, & in omnes dicitas plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris & Christi Iesu.* 1. Cor. 8,10. *habere scientiam, cap. 13,2. novissime mysteria omnia & scientiam omnem.* Qui dicuntur Perfecti, de quibus 1. Cor. 2,5. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* & Phil. 3,15. *quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ad quam fideles exstimaluntur 1 Cor. 14,20. *Fratres, nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote;* *Sensibus autem perfecti estote;* & Ephes. 5,15. 16. hancq; precatur fidelibus, Ephes. 1,17. seq. Col. 1,9.10. Respectu Assensus firma fides est, quæ Ratione Objecti Generalis sine dubitatione præbetur omnibus in Verbo Dei contentis; Cujus Exemplum est Paulus Act. 24,14. *Confiteor hoc tibi, quod secundum Seclam, quam dicunt heresini, sic deservio Patri & Deo meo, credens omnibus, qua in lege & Prophetis scripta sunt;* Ratione Objecti specialis Exemplum habemus in Petro Matth. 16,17. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quam fidem Christus hoc Elogio ornat; *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Respectu Fiducie magnam fidem habuit Abrahamus, Pater omnium creditum, propterea laudatus Rom. 4,17. Heb. 11,8. seqq. Centurio Capernaiticus Matth. 8,5. de quo Christus: *Amen, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Mulier hæmorrhousa Matth. 9, 20. 21. intra se dicens: *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Cui Christus, *confide filia, fides tua salvam te fecit.* Mulier Cananæa, cui

Christus ipse hoc testimonium perhibuit: Matth. 15, 22
 O mulier! magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. & Paulus
 Galat. 2, 20. Roman. 8, 38. 2 Timoth. I. II. Ut tamen
 hæc fides genuinam se probet, Promisorum divino-
 rum impletionem patienter expectare debet, juxta præ-
 ceptum Jac. 5, 7. 8. & Hebr. 10, 36. 37. Esa 28, 16. Exem-
 plo Abrahami Hebr. 6, 15. & Fructus ferre Matth. 7, 18.
 Luc. 8, 6. 7. 8. Repete, quæ diximus de fidei Effectibus.
 Ubi tamen notandum, Fidem esse vel *Incipientium*,
 quorū spectant I. Joh. 2, 12. *Infantes* seu *Pueruli* in Fi-
 de; quibus lac & nondum solidus cibus dandus, I. Cor. 3,
 I. 2. 3. Hebr. 5, 12. 13. cap. 6, 12. Matth. 12, 20. Vel *Proficien-
 tium*, quorū spectant I. Joh. 2, 13. *Adolescentes* s. *Juvenes*
 in Fide. Ephes. 4, 15. vel *Adultorum*, quorū spectant
 I. Joh. 2, 13. *Patres* seu *Viri* adulti in Fide Eph. 4, 13. D. Pi-
 Æt. Theol. Christ. lib. 9. cap. 4. § 22 23. pag. m. 686. 687.
 IV. Adjunctum Fidei salvificæ est *Perseverantia*. Quæ vel
 ut *Officium* nostrum à nobis præstandum; vel ut *Be-
 neficium* Divinum fidelibus & piis ex gratiâ conces-
 sum, considerari potest & debet. Priori sensu à fideli-
 bus salvandis, instar conditionis, requiritur Matth. 10, 22.
 Qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit. Joh. 8, 31. Si
 manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognos-
 cietis Veritatem, & Veritas liberabit vos. Apoc. 2, 10. Esto fi-
 delis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vita. Luc. I, 74. 75.
 De manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in san-
 titate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Rom. 2
 v. 22. Vide in te Bonitatem Dei, si permanseris in Bonitate
 alioquin & tu excideris. Col. I, 22. 23. Reconciliavit in corpore
 carnis sua per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos,
 & irreprochensibiles coram ipso; si tamen permanetis in fide
 fundati, & stabiles, & immobiles à spe Evangelii, quod audi-
 pistis. Hebr. 3, 6. Christus tanquam filius in domo sua: que
 domus

domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei, usq; ad finem firmam retineamus. Hebr 3,14. *Participes Christi effecti sumus: si tamen initium substantie ejus usq; ad finem firmum retincamus.* Posteriori seku, non cuivis Fidei, sed R̄adicat & Electorum competit; atq; hocmodo ut *Beneficiū Divinū Fidelibus verē Piis & Sanctis ex peculiari Divina Gratia concessum, considerata, sed (1.) in mutabilibus & imbecillibus hominibus pro mutabili & fragili hominum conditione spectata, ingruentibus prælertim Satanæ, mundi & carnis gravioribus temptationibus, facilimè amitti potest.* (2.) *demeritorie propter peccata etiam s̄epissime amittitur, & vinculum unionis cum Christo rumpitur, ita ut per hominem non stet, quo minus prorsus a Christo, ejusque regno separetur & excludatur.* Quin (3) ipsa *Actualis fides* in multis fidelibus, gravia, nonnunquam & mortalia & regnantia, peccata (quibuscum actus vitales vitae spiritualis consistere nequeunt) committentibus, ut in Aarone, Davide, Salomone &c. non solum interciditur. sed & prorsus amittitur; *Habitus autem tam graviter debilitatur, concutitur & minuitur, ut vix exigua scintilla, qf. sub cineribus delitescens, remaneat;* & vita sp. ritualis in hujusmodi lapsis tantam Syncopen s. deliquium patitur, ut spiritualiter mortuis, quam vivis sint similiores ardorem audiendi vel legendi verbum Dei, orandi ac Deum invocandi perdant, unde; (4) *Der offensi indignationem & Odium dispercentiae incurront, Justificationis suspensionem patiuntur, it Justificationis & Adoptionis effectibus & sensu privantur, Gratiam Dei, & spiritus Sancti dona amittunt, reatu damnabiliter tenentur, angores & pavores conscientiæ sentiunt, ac præsentem ad ingrediendum in regnum cœlorum aptitudinem amittunt, certo damnandi, nisi vera pœnitentia.*

nitentiā ad Deum convertantur. Conf. Rom. 9, 1. 4.
 Gal. 5, 6. 19. 20. 21. 2. Petr. 1, 10. 1. Joh. 2, 3. c. 3, 3. Ut rectē
 Brandenburgici, Poloni ac Lithvani Theologi in De-
 clarat. Thorun. c. 4. n. II. afferuerint: Falso nos accu-
 sari: *quasi statuamus, semel Justificatos Dei Gratiam, ejusve*
certitudinem, & ipsum Spiritum Sanctum non posse amittere,
quamvis in peccatis pro luctu voluntur: Cum contrā potius
doceamus, ipsos etiam renatos, quoties in peccata contra con-
scientiam recidunt, in iisque aliquandiu perseverant, nec si-
dem vivam, nec Dei Gratiam Justificantem, nedium ejus cer-
titudinem, aut Spiritum Sanctum pro illo tempore retinere,
sed novum ira ac mortis aeterna reatum incurre, ac proprie-
rea, nisi speciali Dei Gratia excitante (quod in Electis fieri
non dubitamus) ad resipiscientiam iterum renoverentur, re ipsa
etiam damnandos esse. Quæ verba meritò laudat D. Ge-
 org. Calixtus in Considerat. Doctr. Reform. juxta Con-
 fess. Thorun p. 62. & Lud. le Blanc. Thesib. Theol. de Sub-
 je^cto fidei Th. 38. 39. 40. p. 254. it. Thesib. de Distinct. Peccat. in Mort. & Venial. Part. poster. Th. 8. 10. seqq.
 p. 323. 324. Conf & Magnæ Britanniæ Theolog. Judici-
 um in Act. Synod. Dord. de Persev. Th. 3. 4. 5. p. m. 770.
 771. 772. Rob. Baron. Disp. Theol. de Peccato Mort. &
 Venial. Sect. 5. 7. p. 28. seqq. & 37. seqq. Dari tamen
 certam mensuram tantumque gradum fidei, quæ Fi-
 dei Soliditatem & *invincibiliter* inferat, proindeque fides Ro-
 borata, Perfecta ac Radicata dicitur, ad consolationem
 Piorum colligimus (1.) Ex divinis Promissionibus Deut.
 31, 8. Hebr. 13, 5. *Non te deseram, neque derelinquam.* Ps.
 37, 24. *Cum ceciderit justus, non collidetur: quia Dominus supponit*
manum suam. Esa. 42, 3. *Calamum quassatum non conteret,*
& linum fumigans non extingvet. Ps. 125, 1. *Qui confidunt in*
Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in eternum. Joh.

6, 37.

6, 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet : Et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Joh. 10, 27. 29. Oves mee vocem meam audiunt : Et ego cognosco eas, et sequuntur me. Pater meus qui dedit mihi, major omnibus est : Et nemo potest rapere de manu Patris mei. 1. Cor. 1, 7. 8. Deus confirmabit vos usque in finem sine crimen, in die adventus Domini nostri Iesu Christi. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Iesu Christi Domini nostri, 1. Cor. 10, 13. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum temptatione proventum ut possitis sustinere. Phil. 1, 6. Qui caput in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. Conf. Ps. 73, 43. Joh. 14, 16. Philip. 2, 13. 1. Joh. 2, 27. c. 5, 4. In hac fide confirmat fideles & pios atque ad hanc spem erigit eos (2) Natura Fæderis Gratia quod cum firmum sit & immutabile, etiam beneficia inde pendentia in omnibus fidelibus fæderatis certum effectum & eventum habebunt. Quod testatur Deus Jer. 31, 32. 33. 34. Ecce feriam Domui Israel et Domui Iuda fædus novum : Non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra Aegypti : pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : Et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim cognoscunt me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non recordabor amplius. Jer. 32, 38. seqq. Erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum et dabo eis cor unum et viam unam, ut timeant me universis diebus : Et bene sit eis, et filii eorum

post eos. Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam
eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non
recedant a me. &c. Esa. 54, 10. Montes commodebun-
tur & colles contremiscunt: Misericordia autem mea non re-
cedet a te, & fædus pacis meæ non movebitur. Ps. 89, 21. 27.
28. & seqq. Inveni David servum meum. Ipse invocabit me:
Pater meus es tu: Deus meus, & Susceptor salutis meæ. Et
ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terra. In
eternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum
meum fidele ipsi: Et ponam in seculum seculi semen ejus, &
thronum ejus, sicut dies Cœl. Si autem dereliquerint filii ejus
legem meam: & in judiciis meis non ambulaverint: Si justi-
tias meas profanaverint: & mandata mea non custodierint:
Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus pec-
cata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam
ab eo: neque nocebo in veritate mea: Neque profanabo Te-
stamentum meum; & quæ procedunt de labiis meis non faci-
am irrita. Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar, semen
ejus in eternum manebit. Conf. Ez. 37, 25. 26. seqq. Es. 55, 3.
c. 59, 21. Hof. 2, 19. (3) Electionis Deretum immutabile.
Rom. 8, 28. & seq. Quos præscivit, eos & predestinavit: quos
prædestinavit, eos & vocavit, quos vocavit, eos & justificavit:
quos justificavit eos & glorificavit. Eph. 1, 3. 4. Quod con-
silium dicitur Heb. 6, 17. auctoritatæ immobile. (4) Mor-
tis Christi efficacia. Joh. 6, 37. Omne, quod dat mihi Pa-
ter venit ad me: & cum qui venit ad me non ejiciam foras.
v. 39. Hac est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut
omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud
in novissimo die. Joh. 10, 28. Ego vitam eternam do vobis
meis: & non peribunt in eternum, & non rapiet eas quisquam
de manu mea. Joh. 17, 2. Pater dedisti Filio potestatem omnis
carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam eternam. v. 12.

Quos

Quos dedisti mihi custodiri, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis. Joh. 14, 19. Ego vivo, & vos vivetis. Rom. 5, 8. 9. Commendat Charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. c. 8, 32. 33. 34. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit electos Dei? Deus, qui justificat; quis est qui condemnnet? Christus Jesus, qui mortuus est; imo qui & resurrexit. Unde Christus Hebr. 12, 2. Auctor & Consummator fidei appellatur. (5) Efficacia Intercessionis Christi. Joh. 17, II. Jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio, Pater Sancte, serua eos in nomine tuo; quos dedisti mihi: ut sint unum sicut & nos. v. 15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. v. 20, 21. Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu, pater, in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. v. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut, ubi sum ego, & illi sint mecum; ut videant charitatem meam, quam dedisti mihi. Luc. 22, 32. Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Rom. 8, 34. Christus est ad dextram Dei, qui interpellat pro nobis. I. Joh. 2, I. Si quis peccaverit, advocatum habemus, apud Patrem, Jesum Christum justum. Joh. 11, 42. Ego sciebam quia semper me audis. (6) Unio fidelium cum Christo Capite Rom. 8, II. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. v. 38. Certus sum, quia neq; mors, neque vita, neq; angeli, neque principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos se-

parare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.
 1. Cor. 6, 17. Qui adhæret Domino, unus Spiritus est cum eo.
 (7) Obsignatio & custodia Spiritus Sancti Joh. 14, 16.
Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in eternum. Gal. 4, 6. Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: *Abba Pater.* Eph. 1, 13. Credentes signati sunt Spiritu promissio-
 nis sancto. c. 4, 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. Unde David post commisum grave peccatum Ps. 51, 13. *Spiritu Sanctum tuum ne auferas à me.* (8) Natura donorum per Spiritum Sanctum fidelibus collatorum, quæ sunt *διελαμέλητα* Rom. 11, 29. Sine Pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. (9) Natura Vitæ Spiritualis, sinceræ Conversionis, & per Spiritum Christi factæ, non perfunditoriae & Superficia-
 riæ sed penitissimæ, Sanctificationis, Joh. 5, 24. Amen,
amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam eternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam it. c. 6, 40. 1 Joh. 3, 9. Omnis qui ex Deo natus est, peccatum non facit, quoniam semen i-
 psius in eo manet & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. c. 5, 4. Omne quod natum est ex Deo vincit mundum: & hac est victoria, que vincit mundum, fides nostra. Quo faciunt variæ Similitudines, quibus vitæ Spiritualis Fer-
 tilitas & Perennitas delineatur. Confertur enim Ps. 1,
 3. 4. *Plantationi arboris ad rivos aquarum, quæ fructum suum dat in tempore, & cujus folia non decidunt.* Matth. 7,
 24. 25. Domui edificata super Petram, quam irruentes venti, flumina, pluvia, subvertere nequeunt. Joh. 4, 14. fonti aquæ salientis in vitam eternam, ex quo quicunque bibet, non satiet in eternum. 1 Petr. 1, 23. Semini incorruptibili. Quapropter Johannes 1 Epist. 2, 19. de deficientibus in-
 quirit:

quit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum.* Cū ex adverso ipsi etiā fideles, secundum carnem viventes, & justitiam deserentes, procul dubio, quod supra quoque monuimus, morituri ac damnandi essent Rom. 8, 8.9. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus v. 13. si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Ezech. 18, 24.26. *Si averterit se justus a Justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis;* In iustitia, quam operatus est, morietur. Notandum quoque, Concilium Trident. definivisse quidem Sess. 6. Can. 23. Semel Justificatos peccare & gratiam amittere, quin infidelitate Fidem excutere, posse; negare tamen, quocunq; mortali peccato Fidem amitti: Ita enim Sess. 6. c. 15. cuius titulus est: *Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem;* loquitur: *Adversus horum quorundam callida ingenia, offerendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam Justificationis gratiam amitti.* Vide Bellarm. lib. I. de Amiss. Grat. c. 8. p. m. 93.94. Costerum Enchirid. Controv. c. 4. ad qu. *Sitne fides in peccatoribus?* p. m. 171. seqq. Gerh. Hagemann. Defens. Profess. Fidei Cathol. c. II. §. 32. 34. 35. 39. p. 137. 138. seq. Qua in re nobis non repugnare Concilii Trid. Sententiam putat Pareus de Justif contra Bellarm. lib. 3. c. 14. p. 856. Quod vero attinet Dissensum Evangelicorum de Perseverantia, nos ejusdem Parei de hoc Dissensu judicium subjicimus, quod habet c. I. p. 858. 859. *Duas Bellarminus facit Evangelicorum, de Perseverantia, sententias: Unam Chemnitii, Perseverantium sanctorum esse finalem, sed non totalem, hoc est, fidem veram posse desicere totaliter ad tempus ut nulla sit, sed non finaliter,*

ut non redeat ante finem. Alteram Calvini, perseverantiam Sanctorum esse & totalem & finalem, hoc est nunquam penitus ita deficere, ut nulla sit usque in finem. Sed reverâ est una sententia. Nam de finali perseverantia convenient, quod ad consolationem piorum, & ad conciliandas scripturas satis est. De perseverantia totali, verbis, non re ipso, discrepant, Nam etiam Calvinus non negat, fidem in lapsibus Sanctorum amitti quoad actum, quod vult posterior sententia. Si vero hac etiam vellet, non manere simpliciter, ne quidem quoad habitum, seu, ut vocat Calvinus, quoad sensum fidei, stare non posset: quia sic finalis perseverantia non esset fidei perseverantia, sed reparatio dicenda. Christus vero oravit pro Petro & fidelibus, non ut fides amissa eis reparetur, sed ut fides nunquam deficiat. Ceterum maneat modo, ut dixi, certitudo perseverantia finalis fidelium, stat nostra consolatio, & falsa manet adversarii contraria negatio. V. Adjunctum Fidei Justificantis est Certitudo, quæ est vel Objecti, vel Subjecti. Objectiva est Rei ipsius cognoscendæ & credendæ firmitas & immobilitas, qua res se aliter non habet nec habere potest quam cognoscitur & creditur: estque hoc loco nihil aliud, quam Veritas & Firmitas Doctrinæ cœlestis de Philanthropia Dei erga lapsum genus humanum. Joh. 16, 10. Ezech. 33, II. c. 18, 23. 32. Rom. II, 32. I. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 9. & Doctrinæ de morte Christi pro Peccatoribus obitâ, & verâ fide, cordeque contrito, recipienda. Matth. 9, 13. I. Tim. 1, 15. Luc. 19, 10. Joh. 1, 29. c. 3, 16. Rom 5, 18. 19. c. 8, 32. 2. Cor. 5, 14. 15. I. Tim. 2, 5. 6. c. 4, 10. Gal. 4, 4. 5. I. Joh. 2, 2 hâcque nixâ Dei Benevolentissimâ Voluntate atque ad amplectendam salutem à Christo partam seriâ Invitatione, Es. 55, 1. Es. 65, 5. Ps. 95, 6. Matth. 11, 28. c. 22, 3. 4. Luc. 14, 17. c. 15, 2. 3. 4. 7. Matth. 28, 19. Act. 17, 31. 2. Cor. 5, 20. &c. Ex hac Certitudine Objecti

jecti positâ, & corde contrito ex Verbo Dei lecto vel
prædicato & meditato, admissâ, deducitur *Certitudo Fi-*
delium Subjectivæ Hominis Cognoscentis & Credentis:
quæ est Firmitas & Adhærentia quædam Assensus no-
strí ad rem quæ cognoscenda vel credenda proponitur.
Hanc Fidei competere respectu Justificationis præsen-
tis & futuræ Salutis, quidam negant, quidam affir-
mant. Judæi ex conscientia imperfectionis operum
suorum Certitudinem Justitiæ & Salutis suæ negant.
De R. Jochanan Ben Zacay refertur, quod, *imminente vita*
fine, flaverit; rogatus causam à discipulis, responderit: *Du-*
as se videre ante oculos suos vias; Unam que rectâ ad infer-
num; alteram que in Paradisum ducat; & nescire se quâ du-
cendus sit; teste Menasseh Ben Israel l. 2. de Resurr.
Mort. c.20. p. m.230. Hinc Rabbini septem res homini-
bus incertas & absconditas ajunt; sc. diem mortis; diem
consolationis; Profunditatem judicij; ut nesciat quam com-
pensationem fit accepturus; quid in corde proximi sui fit;
quando regnum Davidis fit restituendum; & quando peccato-
res sint consumendi. Romana Ecclesia in Concil. Trid.
Sesl. 6. c.9. definitivit: *Neminem quidem pius de Dei misé-*
ricordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute &
efficacia dubitare debere; quemlibet tamen, dum se ipsum, su-
amque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de
sua gratia formidare ac timere posse, cum nullus seire valeat
certitudine fidei, cui non potest subesse falsum se gratiam Dei
esse consecutum. Quæ sententia quoque Can. 13. 14. A-
nathemate contrariæ Doctrinæ, confirmata est Præ-
terea fides Prædestinationis s Electionis, cuiusvis cre-
dantis in particulari, Anathemate damnata est Can. 15.
Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum, teneri ex
fide ad credendum, se certò esse ex numero prædestinatarum,

Ana-

Anathema sit. Evidem in Concil. Trid sententiis variatum est de hoc Doctrinæ capite; quibusdā sententiam de Certitudine Gratiae intolerabilis arrogantiæ arguentibus; quod factum à *Dominico à Soto* maximaq; parte Dominicanorū, qui ad probandam sententiam suam tum loca Prov. 20,9. Eccles. 9,1. Eccl. 5,5. Phil. 2,12,1. Cor. 4,3,4. tum auctoritatem Pátrum, it. Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, aliorumq; Scholasticorum afferebant; Auctoritati quoq; Scripturæ & Doctorum, rationes jungebant: sc. noluisse Deum hominem certum reddere Gratiae, ne superbiā & æstimatione sui intumesceret, aliosq; præ se contemeret. Denique Christianos evasuros somnolentos, desides & bonorum operum negligentes; utilem itaque, imo meritoriam esse Gratiae incertitudinem. Alii e contrario, in primis *Ambr. Catharinus* Dominicanus postea Episcop⁹ Minorensis & *Ant. Marinarus* Carmel. Gratiae & Fidei Certitudinem propugnabant, atque asserebant, Justificationem quidem ab ea Fiducia non profici; justum tamen posse, imo debere pro certō statuere, se esse in gratia; Inde impudentiæ immanis esse regerebant, Temeritatis & Arrogantiæ eos arguere, qui Spiritui S. credant ipsos compellant; absurdumque videri, Christum Matth. 9, 2. & Apostolum 2. Cor. 13, 5. 1. Cor. 2,12 Rom 8,15,16. Superbiæ occasionem quandam subministrasse. Medium viam insistebat *Andr. Vega* Franciscanus, qui statuebat, Certitudinē non esse temeritatē, multoque minus fidem certam; sed sine peccato haberi posse persuasionē conjecturalem, quam deinceps Fidem moralem, & experimentalem, rationum momentis ad ductus, appellabat; sed quæ dubitationem omnem excluderet, neque fallere posset. Vid. Pauli Sarpii s. Petri Suavis Histor. Conc. Trid. l. 2. p. m. 324. 525. 342. 343. 344.

343. 344. Verum non attentā Catharini & Marinari sententiā, quam & Bellarminus l. 3. de Justif. c. 3. p. m. 949. notavit, & refellit, decretum Concilii supra allatum, factum est; quod, præter Bellarminum, omnes Rom. Ecclesiæ Doctores defendant, nominatim Beccanus Manual. Controv. lib. 1. c. 16. qu. 7. p. m. 435. ad 441. Costerus Enchir. Controv. c. 4. p. m. 204. ad 212. ita tamen, ut Certitudinem, non quidem *fidei divinae*, sed vel *Conjecturalem*; vel *Moralem*; vel *Experimentalem*; vel *Spei*; sed quæ dubitationem excludat, defendant. *Remonstrantes* concedunt, verè fidelem pro tempore præsenti, ut de fidei & Conscientiæ suæ Integritate, ita de salute suâ certum esse posse ac debere; ratione tamen temporis futuri Certitudinem tantum *Conditionalem* admittunt. Vid. Conf. Remonst. c. 18. n. 5. Apol. Confess. fol. 215. Poelenburg in Refut. Disp. Spanhem. ad Th. 59. p. 441. seqq. Phil. a Limborch. Theol. Christ. lib. 6. c. 7. §. 6. & 12. Ipsi etiam Patres hic suspenso gradu incedunt, & omnimodam Certitudinem fidelibus tribuere vix audent; quorum judicio in hac quæstione multum tribuit Lancelotus Andrewes Episcopus quondam Wintoniensis, Anglus, in Censura Censuræ D. Barreti in Hist. Articul. Lambethanor. p. 33. 38 seq. Conf. Vossii Hist. Pelag. lib. 6. Th. II. p. m. 581. seq. Ipse Augustinus L. XI. de Civit. Dei c. 12. de fidelibus scribit: *Licet de sua perseverantia premio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti.* *Quis enim hominum se in actione profectuque justitiae perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui hac dicit, justo latentique judicio, non omnes instruit, sed neminem fallit.* Lib. de Perseverantia Bono c. 13. *Quis ex multititudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in*

numero prædestinatorum se esse præsumat? quia id occultari
 opus est in hoc loco, ubi cavenda est elatio. Plura lege a-
 pud Auctores citatos. Nostra Sententia est: I. Certi-
 tudinem non tam ipsam fidem, quam hominem cre-
 dentem afficere, neque ad *Actum directum*, qui fidei es-
 sentiam constituit; sed ad *Actum reflexum*, qui essentiam
 fidei constitutam sequitur, nec ad fidem *infirmam*; sed
firmam & Roboratam spectare. Nam Certitudinem hanc
 non semper æqualem esse; docent exempla multorum
 fidelium, qui sæpe de salure sua dubitant. II. Verè fide-
 lem post legitimū & accuratum vitæ suæ actionum-
 que luarum examen, non ex speciali revelatione, sed
 ex Verbo Dei posse & debere de statu suo certum esse,
 fide *hactenus* divinâ, *quatenus* fide a Spiritu S. per Ver-
 bum in corde suo accensa ex promissionibus univer-
 salibus, ad se applicatis, colligit, se esse in statu Justifica-
 tionis & Salutis. Nam (1) in se ipsum animum refle-
 ctens, ita ratiocinatur: Quic. in Christum credit & re-
 sipiscit, s. Opera bona, interna, & externa facit, ille est
 justificatus, estque in statu Salutis. A. Ego credo, re-
 sipisco, &c. E. (2) Fides dicitur hypostasis s. *substantia*
rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, Hebr.
 11, 1. E. fidelis per fidem, sine dubitatione, futuram æ-
 ternam felicitatem sibi præsentem promittere potest.
 (3) Paulus verbis 2. Cor. 13, 5. *Vos ipsis tentate, si esis*
in fide: Ipsi vos probate; a fidelibus fidei suæ exploratio-
 nem requirit, quam truſtra exigeret, niſi fideles, debi-
 to examine sui instituto, fidem suam cognoscere pos-
 sent. (4) *Quemadmodum*, in vita naturali, anima non
 ſolum intelligit; ſed & suæ operationis ſibi conſcia eſt,
 ac ſcit ſe intelligere: Ita in vita spirituali, anima rege-
 nita, non tantum actus directos, fidei, & Charitatis Dei
 & pro-

& proximi, exerit; sed & in se ipsam reflexa cognoscit
se actus illos exercere. Hinc Johannes scribit, i. Joh.
3, 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vi-
tam, quoniam diligimus fratres.* v. 19. *In hoc cognoscimus,
quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus
corda nostra.* 21, 22. *Charissimi, si cor nostrum non reprehen-
derit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petieri-
mus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, &
ea, que sunt placita coram eo, facimus.* Hebr. 6, II. *Cupimus
unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem, ad
expletionem spei, usq. in finem.* (5) Ex Spiritu & fidei fructi-
bus id constat, Rom. 5, 1. seq. *Justificati fide, pacem habemus
ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem
& habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua sta-
mus, & gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Non solum au-
tem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes, quod tribu-
latio patientiam operatur, patientia autem probationem, pro-
batio vero spem, spes autem non confundit.* Gal. 5, 22. *Fructus
Spiritus est Gaudium & Pax.* Phil. 4, 7. *Pax Dei, que exu-
perat omnem sensum, custodit corda nostra & intelligentias
nostras, in Christo Iesu.* (6) Obsignatio & internum te-
stimonium Spiritus S. fideles certos facit statu in quo
sunt. Rom. 8, 15, 16. *Non accepistis spiritum servitutis ite-
rum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in
quo clamamus Abba (Pater)* Ipse enim Spiritus testimonium
redit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. I. Cor. 2, 12. *Nos
accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo do-
nata sunt nobis.* 2. Cor. 1, 21, 22. *Qui confirmat nos vobis cum
in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & de-
dit pignus Spiritus in cordibus nostris.* I. Joh 5, 10. *Qui cre-
dit in Filium Dei habet testimonium in se.* (7) Exempla
Sanctorum id docent; Abrahami; Rom. 4, 18. seq. Job. 19, 25.

Davidis Ps. 23. Pauli Rom. 8,38. 2. Tim. 1,12. III. Ratione Futuri Status & futuræ Salutis verè fidelis infirmitatis suæ sibi conscius non temere quicquam præsumet, interim tamen potest confidere, se, mediante Pietate, Oratione ardente & praxi bonorum Operum, in Statu Justificationis & Salutis perleveraturum esse. Phil. 1,6. *Confido, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.* Hebr. 12, 2. *Aspicite in auctorem fides, & Consummatorem, Iesum.* Eph. 4,30. *Spiritu sancto signati estis in diem redemptionis.* Rom. 11,29. *Sine penitentia sunt dona & Vocatio Dei.* Hinc Jobus c 19, 25. seq. Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. &c. David. Ps 23,6. *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vita mea, ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.* Paulus Rom. 8,38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. nos poterit separare a Charitate Dei, que est in Christo Iesu, Domino nostro.* 2. Tim. 1,12. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* IV. Potest verè fidelis, & pius, suæ Prædestinationis, scilicet Electionis, non a priori, (cum nemo norit mentem Domini, Rom. 11, 34.) sed a posteriori, ex Effectibus & signis, fide, Charitate, aliisque operibus, in primis *Conformatitate cum imagine filii Dei,* Rom. 8,29. certus esse; scilicet descendendo in se per Syllogismum Practicum, cuius Propositio major in Dei Verbo; Minor autem in cuiusque fidelis corde legitur, hoc modo: Quic. credit, Deum & proximum sincerè amat; Imagine filii Dei in verâ Mansuetudine & Humilitate conformis est, adeoque Spiritum Christi habet; ille est ad Salutem æternam Electus: A. Ego credo, &c. E. sum Electus. Fides enim & bo-

& bona opera sunt certa indubitata atque infallibilia signa nostræ Electionis. Eph. 1, 4. *Elegit nos in Christo, &c. ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in Charitate.* 2. Petr. 1, 10. *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram Vocationem & Electionem faciatis.* Rom. 8, 29. *Quos prescivit, eos & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Matth 11, 29. *Discite a me, quia misericordia sum, & humilis corde.* Conf. Rom. 8, 9. Gal. 5, 22. 23. 24. Præter supra dicta pertinet hoc locus Apoc. 2, 17. *Vincenzi dabo calculum candidum: & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Sive enim hic alludatur ad calculorum usum apud Veteres, (1) in Comitiis publ. in quibus Magistratus per suffragia creabantur inscriptis tessellulis nominibus Electorum; sive (2) in judiciis Veterum, in quibus absolutio per album, damnatio per nigrum calculus fieri solebat, teste Poëta:

*Mos erat antiquis niveis atrisve lapillis.
His damnare reos, illis absolvere culpa.*

Sive (3) in Certaminibus gymnasticis, in quibus calculus albus Victoriae Symbolum erat; patet *nomen novum*, calculus inscribendum, non nisi nomen filiorum Dei esse, quod aliis ignotum, cognitum sit accipienti. V. Hæc Certitudo sub œconomia N. T. tollit timorem servilem, Rom. 8, 15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)* Gal. 4, 6. - 1 Joh. 4, 18. *Timor non est in Charitate: sed perfecta Charitas foras mittit timorem.* Non excludit tamen perpetuò omnem formidinem oppositi; nec unquam timorem pia Sollicitudinis. Matth. 26, 40. *Vigilate & orate, ut non intretis in temptationem.* Marc. 14, 38. 1 Cor. 9, 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte,*

cum aliis predicaverim, ipse reprobis officiar. Rom. 8, 1. Ni-
 hil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non se-
 cundum carnem ambulant. 1 Joh. 2, 3. In hoc scimus, quoni-
 am cognovimus eum, si mandata ejus servemus, Philip. 2, 12.
 cum metu & tremore vestram salutem operamini. Aliquando
 etiam vividus est, aliquando langvidus; aliquando, np.
 in temptationibus gravibus, nulla. Quapropter fidelium
 Status Luctæ a Statu Victoria dignoscendus venit.
 Cujus rei exemplum habemus in Davide, se a Deo de-
 relictum querente Ps. 13, 1. seq. Ps. 30, 8. 9. 10. Ps. 31, 32
 qui tamen alibi confidit, se non confusum iri Ps. 13, 6. 7.
 Ps. 23, 4. Ps. 30, 2. seqq. v. 11. 12. 13. Ps. 31, 18. 23. 24. In gra-
 vibus temptationibus & in deliquio fidei juvat etiam tem-
 pus præteritum in memoriam revocare, & in præ-
 senti fidei silentio priores ejus actus recognoscere.
 Locus Eccles. 9, 1. in hebræo ita habet : *Etiam amo-*
rem, etiam odium nescit homo; omnia ad facies eorum.
 Nec ibi loquitur Ecclesiastes de Conscientia Status vi-
 tæ Spiritualis cuiusvis hominis; alias sequeretur, necho-
 minem impium scire, se propter scelera sua dignum
 esse odio Dei: quod agnoscit Salmero in Comment. ad
 2 Cor. 12. Disput. 14. Sed de amore & odio ex eventibus
 prosperis vel adversis, utpote quæ tam justis quam in-
 justis communia sunt, prout faretur Tirinus in locum.
 Paulus 1 Cor. 4, 4. non agit de fide suâ, qua coram Deo
 justificatus fuit, de quâ fide suâ agit 2 Tim. 1, 12. c. 4, 6.
 seq. Rom 8, 38. seq. sed agit de executione muneric sui
 Apostolici, ac docet, quamvis omnes muneric sui partes
 impleverit, per hoc tamen se Justitiae laudem coram
 Deo adepturum non esse, quasi nihil sibi desit, cum fie-
 ri possit, ut Deus nævos videat, quos ipse non obser-
 yet; ac proinde se nondum certum esse, se recte fun-
 ctum

Etum esse munere suo, donec Dominus ipsum pronunciaverit fidelem.

§. XVII.

Opposita Fidei in Defectu sunt I. *Dubitatio*, quæ Fidei, ratione Assensus, opponitur; estque suspensio Assensus nostri propter rationum utrinque occurrentium æquilibrium. Haec in philosophicis, ad certum tempus, simpliciter vituperanda non est; quâ de causâ eam & Platonici s. Academici probarunt; & Aristoteles de eâ scriptum reliquit: *ἢ ἀποίᾳ τῆς ἐντοπίας μήτερ*. h. e. *Dubitatio est Scientie mater*. Nec in Theologiâ initio absolute improbanda est, si sc. desit occasio dubium illud tollendi, vel, saltem, quamdiu dubium illud nondum sublatum est, cum fides non sit Assensus præceps, sed maturo judicio nixus; quod patet in B. Virgine Maria Luc. 1, 34. & in Nicodemo. Joh. 3, 2. Verum si quis, credibilibus missis, rationes apodicticas, vel sensuum testimonium requirat, ut Thomas Joh. 20, 24. seq. vel cunctis ritè expensis assensum tamen volens suspendat, qualis fuit dubitatio Regis Agrippæ Act. 26, 28. dicentis: *Propemodum persuades mihi, ut siam Christianus*; Hujusmodi dubitatio, sive sit de tota Christiana Religione, qualis Regis Agrippæ c. l. sive sit de dogmate quodam singulari, qualis fuit eorum, de quibus agitur Rom. 14, 22. 23. & 1 Cor. 3, 10. 11. procul dubio reprehendenda est. II. *Incredulitas*, quæ est vel *negativa* eorum, qui directè & immediate vocati non fuerunt, Joh. 15, 12. vel *privativa* s. *positiva*, qui vocati, vel prorsus non credunt, vel non, ut oportet, credunt. Joh. 1, 11. Luc. 8, 13. cuius Incredulitatis *causa* sunt, vel *Malitia*, vel *Prajudicium*, de quarum prima Christus ait Joh. 3, 19. 20. *hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt*

scerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eos
 rum mala opera, Omnis enim qui male agit, odit lucem, &
 non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Scilicet
 multi credere nolunt, ne secundum normam verbi
 Dei vivere teneantur. Specialis causa in multis est. Am-
 bitio Joh. 5, 44. c. 12, 42. 43. in multis Avaritia Luc. 16, 14.
 15. & Voluptates Luc. 8, 6. 7. 13. 14. quibus accedunt cau-
 sae externæ: Diabolus & Mundus. 2 Cor. 4, 34. Präjudi-
 ciorum vis quanta sit ad Infidelitatem, videre est in ipso
 Nathanaële Joh. 1, 46. dicente: *a Nazareth potest ne ali-
 quid boni esse?* In Christi discipulis, præjudicio, de Re-
 gno Christi terreno, occupatis; & omnium maxime
 in Judæis, de quibus Apostolus 2 Cor. 3, 14. 15. Usque in
 hodiernum diem velamen in lectione V. T. manet non reve-
 latum; sed cum legitur Moses, velamen positum est super cor
 eorum. Quò respiciens Christus Matth. 11, 6. docebat:
Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Infidelitatis
 Effectionis & poena est damnatio æterna. Joh. 3, 36. Marc.
 16, 16. III. Diffidentia quæ fidei ratione Fiduciæ oppo-
 nitur, & Dei Sapientiæ, Bonitati, Omnipotentia & Ve-
 racitati adversa est. Cujus exemplum exstat in Duce
 illo Samariæ, qui Elisæo, annōnæ ubertatem promit-
 tenti, credere nolebat 2. Reg. 7, 1. 2. seqq & in Rege Achazo
 Esa. 7, 1. seq. it. in discipulis Christi Matth. 8, 24. In Ex-
 cessu Fidei opponitur I. *Nimia Credulitas*, Syrac. 19, 4.
Qui credit citò, levis corde est, & minorabitur. Cum qua
 conjuncta esse solet Inconstantia, quæ prohibetur Eph.
 4, 14. *Ne simus instar parvolorum, fluctuantes; nec circum-
 feramur omni vento doctrinae.* II. *Presumptio*, quâ quam-
 plurimi sibi persuadent, audacterque & securè confi-
 dunt, se Deum propitium habere, Remissionem pec-
 catorum adeptos, & cœlestis gloriæ hæredes esse, cum
 tamen

tamen non Deo, sed sibi, suis Voluptatibus, Ambitioni, Avaritiae & Mundo, vivant, nec Dei Voluntati, sed Mundo se conforment; qui potius iram Dei timere, minas ejus exhorretere, & se ipsos suspectos habere deberent, qui sibi ipsis acclamant, vel acclamari patiuntur: *Pax, pax! cum non sit pax.* Jer. 8, 11. Quibus ingeminandum illud Esai. 57, 21. *Non est pax impiis,* dicit Dominus Deus; & 1 Thess 5, 3. *Cum dixerint pax, & securitas, tune repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* 1. Joh. 3, 7. *Filioli, nemo vos seducat, qui facit justitiam, justus est, sicut & ille justus est.*

CAP. III.

DE FIDE TEMPORARIORUM.

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| §. 1. Fidei Temporariorum Nom
men. | tellectus & Voluntas. |
| §. 2. Fidei Temporar. Existenc
tia. | §. 8. Motiva Temporariorum. |
| §. 3. De Quidditate hujus Fi
dei diverse sententiae indi
cantur. | §. 9. Objectum, totum Dei Ver
bum, In primis Promissiones
Evangelii; etiam Christus
ut Sacerdos. |
| §. 4. Temporariorum Fidemes
se veram Fidem. Descriptio. | §. 10. Forma. |
| §. 5. Auctor Deus. | §. 11. Finis. |
| §. 6. Principium ejus, Gratia
Dei Generalis, Excitans &
Preparans. | §. 12. Effectus. |
| §. 7. Subjectum Quod est Homo
vocatus, Subjectum Quo In | §. 13. Adjuncta. (1) Amissibili
tas. (2) Negatio Certitudi
nis de Salute, sed Presum
ptio: Ibi Differentia Fidei
Temporariae a Fide Justifi
cante. |

K

§. I. Per-

PErspectâ Fidei Justificantis ac Salvificæ Naturâ, breviter adhuc de *Fide Temporiorum* agendum venit; Cujus nomen quod spectat; Homo, ad tempus credens, tandem verò obortâ tempestate deficiens Matth. 13, 21. πρόσωπος, *Temporarius* & Marc. 4, 21. pluraliter πρόσωποι *Temporarii*, dicitur; Unde hujusmodi hominum Fides, *Temporiorum*, vel Catachresticè, quod de hominibus Scriptura dicit, Fidei eorum tribuendo, *Fides Temporaria*, per Metonymiam Adjuncti pro Subjecto, appellata fuit, non q̄s semper tandem deficeret, cum s̄pē fiat, ut florente externè Ecclesiâ, ad vitæ finem in eo statu perseveret: sed quod orta propter verbum persecutio, deficiat. Alias in Scriptura dicitur *humorem non habens, non habens radicem*. Luc. 8, 6. Matth. 13, 21. i. e. *non radicata; evanida*, it. *dispositionalis*; quia quemadmodum dispositio ad scientiam facile amittitur; Ita & hæc fides facile amittatur; quam rationem affert B. D. Grebenitz in Dipl. de Fide Tempor. Sect. I. §. 5. Romano-Catholici Doctores *Fidem Informem* nonnunquam salutant; à D. Witsio vocatur *Præsumptuosa* Oecon. Fœd. I. 3. c. 7. § 29.

§. II.

Existentia hujusmodi Fidei probatur ex Scripturâ. Luc. 8, 5. 6. *Exiit, qui seminat, seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cali comedenterunt illud; & Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* V. 13. *Qui supra Petram, sunt, qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hæc radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore temptationis recedunt.* Loca parallela extant, Matth. 13, 3. 4. 5. 6. 20. 21. Marc. 4. 3. 4. 5. 6. 16. 17. 1 Tim. 1, 19. *Bonam conscientiam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Hebr. 6. 4. *Impossibile est, eos, qui semel*

semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum celeste & participes sunt facti Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad paenitentiam: It Hebr. 10, 26. 2 Petr. 2, 20. 21. Exempla hujus fidei Temporar. habemus: in Saule 1. Sam. 16, 14. in Achabo 1. Reg. 21, 27. seq. in Jehu, 2 Reg. 10, 30. 31. in Anania & Saphira, Acto. 5, 3. 9. in Hymenæo & Alexandro 1. Tim. 1, 20. Virginibus fatuis, Herode Marc. 6, 20. seqq. & divite Marc. 10, 17. seq. qui dicebat, se præcepta omnia servasse a juventute; Christum vero omnia vendenda præcipientem, mœrens, deserebat. Ex quibus tum dictis, tum exemplis Existencia Fidei Temporariæ satis appetet.

§. III.

Non convenit vero inter Theologos, quid sit illa Fides Temporariorum. Mart. Chemnicius Loc. Theolog. Part. 2. loc. de Justif. Fidem hanc cum *Hypocritica* sive ficta & simulata eandem facit. Maresius Syst. Theol. Loc XI. §. 21. Fidem hanc *equivocè* ita dici, & cum Justificante solo nomine convenire putat. Alii Fidem non univoce, sed *analogicè* talem esse volunt, ut Leidenses Syn. Pur. Theol. disp. 31. §. 3. Wendelin. Syst. Theol. l. I. c. 24. Thes 4. Explic. n. 3. Mastricht Synagm. de Fide Salvif. c. 12. §. 6. Burmann. Synops. Theol. l. 6. c. 4. 3. 32. 33. Braun. Doctr. Fœd. f. Syst. Theol. Part. 3. loc. 14. c. 8. §. 7. (tametsi hic Auctor hanc fidem & hypocriticam vocet §. 5. & æquivoce ac improprie sic dictam §. 7.) Alii rectius Fidem Temporariorum *Synonymice* f. *univoce* Fidem esse afferunt, ita, ut Fides sit vel *Hypocritica* f. *ficta*; vel *Vera* & *Sincera*; hæcque rursus vel *Salvifica* & *Perseverans*; vel *Temporaria*. Qui tamen rursum dissentunt: Nam *Pontifici* Fidem Justificantem & Temporariam unam eandemque esse, nec nisi *Duratio*

eione & Perseverantia, nonnunquam & Formā extrinsecā i.e. Charitate, (qua posterior vel destituatur vel excidat) dif- ferre volunt. Vid. Bellarm Lib. I. de Justif. c. 4 p. m. 818. 820. Maldon. in c. 9. Matth. Becanum Manual. Controv. I. I. c. 16. qu. 6. p. m. 433. *Remonstrantes* Fidem salvificam solā duratione à Fide Temporariorum distingui volunt Apol. Conf. c. 18. fol. 213. Steph. Curcell. Relig. Christ. In- stit. lib. 7. c. 10. §. 12. p. 474. f. 475. Poelenburg in Refut. Disp. Inaug. Spanh. p. 433. seq. Phil. à Limborch Theol. Christ. lib. 5. c. 12. §. 3. p. m. 417. ib. c. 81. §. 7. p. 659, 660. *Lutherani Theologi* itidem Fidem Salvificam & Temporariam solis Subjectis & duratione distinguunt. Quenst. Syst. Theol. part. 3. c. 2. Sect. I. Th. 33. p. 24. Plurimi *Reformati Theologi* agnoscent Fidem Temporariam esse veram Fidem; ita tamen, ut diversam Spe- ciem (sanè non propriè sed metaphorice ita dictam) à Fide Justificante & Salvifica constituat. Inter hos sunt Calvin. Instit. Christ. Rel. I. 3. c. 2. §. 10. II. Wolffg. Musculus Loc. Comm. de Fide & partibus Fidei §. 3. p. 294. 295. ubi tres fidei gradus constituit. Henr. Al- ting. Locor. Comm. Part. I. Loc. 13. p. m. 214. f. 215. 216. Theol. Probl. Part. I. Problem. 51. p. 193. 194. id. Pro- blemat. Nov. Loc. 16. Probl. 8. p. 707. seq. Ravanellus Biblioth. S. sub Voce: Fides Wittich. Theol. Pacif. C. XI. §. 136. p. 105. 106. & Theol. Pacif. Defens. C. XI. §. 202. p. 238. seq. Pictet. Theol. Christ. I. 9. C. 3. §. 3. 4. 6. p. 672. 673.

§. IV.

Nos in antecesum observamus, Veram Fidem bifa- riam spectari posse. I. nat' utrius quoad essentiam & forma- liter, quia habet omnes actus ad essentiam & constitu- tionem fidei, requisitos, quales sunt Notitia, Assensus & Fi-

& Fiducia, quibus proprios actus exercere potest, & aliquos exerceat; quo sensu Fidei veræ, Fides *Hypocritica, simulata, ficta* & putatitia opponitur. 2. *nam' ētiā* τέταρτη, καὶ ἀπότητα secundum intentionem gradualem. it. *nam' ἔπιμοντν καὶ ἔπιτεχν* secundum durationem & perseverantiam ac consecutionem finis ultimi, quo sensu Fides altera profunda Radicata ac Roborata dicitur ac Fidei non-Radicatae, debili & Temporariæ saepè opponitur. Sicut posteriori sensu accepta, sola (actu secundo) Salvifica & perseverans fides vera fides dici potest; quia secundum ICor 13: nihil videtur actum, si quid supereft quod agatur: Ita priori modo accepta etiam *Fides Temporiorum*, est vera & non simulata, nec ficta Fides. Quod passim docuerunt Patres: Irenæus, Tertullianus, Justinus Martyr, Clemens Alexandr. Origenes, Macarius, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzen⁹, Chrysostomus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Salvianus Massil. Gregorius M. Isidorus Hispal. quorum loca indicavit Gerh. Joh. Vossius Histor. Pelag. lib. 6 Thes. 12. p. m. 587. 588. E quorum numerō tantum B. Augustini ex lib. de Corrept. & Gratia c. 13 hæc verba adducimus: *Credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverantia, usque in finem, in fide, qua per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac juste vivere, & postea cadere.* Idem docuerunt ex Reformatis Theologis, Britanni in A&t. Synod. Dordr. in Judicio ad Artic 5. Thes. 1. 2. 3. p. m. 764. 765. Rollocus de Vocatione p. 191. Joh. Bergius de Different. & Convenientia Evangelic. qu. 77. p. m. 122 123. Lud. Croci⁹ Syntagma Theol. lib. 4. c. 16. §. 17 18. 19. p. 1198. 1199. Conr. Bergius Prax. Cathol. Dissert. 7 § 60. 62. p. 994. 995. 766. Wilh. Forbesius Consideratt. Modest & Pacif.

cif. Controv. de Justif. c. 1. n. 5. p. m. 3. Gerh. Joh. Vosius Hist. Pel. lib. 6. Thes. 13. p. m. 592. 593. seq. Henr. Alting. Locor. Comm. Part. 1. Loc. 13. p. m. 214. f. 215. 216. Salmurienses Syntagmate Theiss. Theol. Part. 2. de Fide, Thes. 27. p. m. 88. Lud. le Blanc. Thes. Theol. de Fidei Justif. Natura, Th. 82. p. 221. B. Dn. D. Elias Grebeniz Disputat. Theol. de Fide Temporaria Subsect. 2. §. 5. Dn. D. Sam. Strimesius Epist. Iren. pag. 85. 94. Rationes, quibus probamus Fidem Temporiarum non fictam, nec simulatam, sed veram fidem esse, sunt sequentes: (1) quia Luc. 8. 13. auditum verbum cum gaudio suscipiunt, (2) Ibidem expresse ad tempus credere dicuntur. item Joh. 12, 42. (3) quia ibidem v. 6. 13. hæc Fides Herbae, ex petrofa terra enatae, Solis æstu quidem arefactæ; veræ tamen herbæ comparatur: Ut igitur Herba, ex petrofa terra enata, vera herba est; ita Fides Temporiarum in petroso corde producta vera Fides est. (4) quia vituperantur, quod tempore tentationis ab hac Fide recedant, s. deficiant. v. 13. it Hebr. 6. 4. 5. 6. Ejusmodi Reprehensionis Exempla habemus in Saule 1. Sam. 15, 22. in Anania & Saphira Act. 5, 3. 9. in Hymenæo & Alexander 1. Tim. 1, 19. 20. Quæ Reprehensio locum non haberet, si Fides Temporiarum, non vera, sed ficta fuisset. Optimè Theologi Britanni in Act. Synod. Dordr. in Jud. ad Art. 5. Th. 1 p. m. 765. Omnes hujusmodi desertores justæ coargiuntur ac puniuntur: non quod Fidem eam, quam nunquam habuerint, simularint, sed quod eam, quam habuere dereliquerint: ac multo gravius peccant, à fidei gratiâ collatâ recedentes, quam illi, quibus Evangelii preconium nunquam innotuit, ut docet Salvator Joh. 15, 22. (5.) Quia 1. Tim. 1, 19. 20. Hymenæus & Alexander dicuntur Fidei naufragium fecisse; Veram ergo Fidem habuerunt; quam nisi

nisi habuissent, ejus naufragium fecisse, dici non possent. Recte iterum Theologi Britanni cit. loc. *Hymenæus & Alexander naufragium fecerant Fidei, non quidem fide, aut simulata, sed vera.* Neque enim cuiquam viatio vertendum, quod à Fide hypocritica deficiat: nec naufragus esse poterit, nisi, qui verè in navi fuit. (6.) Quia Deus hanc Fidem remuneratur 1. Reg. 21, 27. 28. 29. in Achab. 2 Reg. 10. 30. 31. in Jehu. Marc. 10, 21. ubi Christus dicitur dilexisse divitem illum, qui profitebatur se servasse mandata Dei; qui tamen, iussus vendere omnia, Christum deseruit: (7) Quia Fides Temporiorum habet omnes partes essentiales, Fidei in genere competentes, *Notitiam: Temporarii audiunt verbum* Luc. 8, 13. *Assensum: suscipiunt verbum* auditum ibid. *Fiduciam aliquam:* *Cum gaudio verbum suscipiunt* Hebr. 6, 4. 5. ratione Notitiae & Assensus fuerunt illuminati; ratione Fiduciae & applicationis promissionum, gustaverunt dominum cœlestē, & participes facti sunt donorum Spiritus S. præterea gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi. (8) quia 2 Petr 2, 20. dicuntur effugisse coquinaciones mundi per cognitionem Domini nostri & Salvatoris J. C. quorum posteriora, deteriora facta sunt prioribus (9) patet exemplo Herodis Marc. 6, 20. qui *Johannem libenter audiebat, reverebatur, ut Virum justum & sanctum, auditoq;* illo multa faciebat; quæ de simulata Fide nequeunt dici (10) quia hypocritæ Esa 29, 13. *appropinquant Deo ore,* & labiis suis glorificant eum, cor autem eorum longe abest ab eo Matth. 15, 8. Marc. 7, 6. Et de Pharisaëis hypocritis Matth. 23, 5. dicitur: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Quibus docetur, hypocritarum Fidem in labiis & externis actibus tantum consistere; cum è contrario Temporarii ad actus internos progrediantur, non dutaxat ut videantur ab hominibus, sed promissio

missionum divinarum dulcedine allecti ; qui graphicè describuntur Es. 58, 2. *Me de die in diem querunt, & scire vias meas volunt : quasi gens, qua justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit : rogam me iudicia justitiae : appropinquare Deo volunt.* Cum itaq; Fidei huic, Nomen Fidei in literis S. tribuatur, sitq; assensus Deo loquenti adhibit⁹, indē manifestum est. Fidem Temporiorum non fictam vel hypocriticam, sed veram Fidem esse. Quia tamen Temporarii Deum & Mundum, Cœlum & Terram, Volutates carnis & gaudium spirituale ac cœlestē, simul possidere volunt, ac proinde Deo partialiter tantum, non autem toto corde adhærent, atque adeo Fidei suæ, quatenus verus Assensus est, & aliquam Fiduciam continent, nec ἀπότητα & ἐπίτασιν, s. debitam intentionem, nec ὁμονία s. Perseverantiam, suā culpā, addunt, & exorta tempestate deficiunt ; Electi verò, ex speciali divinâ gratiâ, misso Amore Mundi, Terræ & voluptatum carnis, Deo toto corde adhærent, adeoque Fidei suæ & ἀπότητα & ἐπίτασιν s. debitam intentionem & ὁμονία s. Perseverantiam addunt, & Fidem κατ' ἔξοχην Veram in cordibus suis fovent & conservant ; Inde Theologi nostri Fidem Salvificam & Temporariam Specie differre, vel duas Species unius generis, sed impropias & metaphoricas, constituere dixerunt ac dicunt ; quia graduum differentia & in Physicis & in Moralibus rebus non-nunquam in ipsa Specie differentiam efficiat. Salmurienses in Syntagm. Thes. Theol. Part. 2. de Fide §. 28. 29. 30. Est ergo Fides hæc, Generalis assensus Verbo Dei & Promissionibus ejus præbitus, non exiguae emotiones in Corde & actiones in vita producens, sed ad tempus tantum durans, ortā v. propter Verbum tempestate, deficiens ; vel hac absente, magis magisq; languescens & debito fine excidens.

§. V.

Auctor Fidei Temporar. est Deus, terminativē Spiritū S. Φωτισμός s. Illuminatio, mediante Verbo, Temporariis eum in finem facta, non ut in Fide Temporia subsistant; sed ut, sublatis ex corde faxis, i. e. Amore Mundi, aliisque impedimentis, ad Fidem Salvif. & Perseverantem contendant & progrediantur. Disputant Scholastici: An Deus sit causa Efficiens Fidei Informis? Negat Vega lib. 7. in Conc. Trid. c. 28. docetque, Fidem semper cum Spe & Charitate a Deo infundi, a qua sententia non alienus est Soto lib. 2. de Nat. & Grat. c. 8. ubi vult, in Bapt. quidem infundi posse fidem sine Charitate; extra illum autem non esse verisimile, infundi fidem, nisi infundatur & Charitas. Verum contraria sententia communis est ap. Theologos Rom. Eccl. Thom. 2. 2 dæ qu. 6. Art. 2. ad 3. p.m. 16. sc docent, Fidem etiam præcise spectatam, quam ipsi Informem vocant, quoad Substantiam, supernaturalem esse, cum habeat Objectū formale quod & sub quo supernaturale, ac proinde a Deo esse, licet in Fide hæc in esse perfecto aliquid desiderent.

Principium hujus Fidei est Gratia Dei Generalis, Excitans; Hominem per Verbum & Sacra menta Preparans, Intellectum illuminando, Tit. 2. 11. & cor pulsando, Apoc. 3. 20. ad obstacula perrumpenda & Fidem habitualem Justificantem generandam Sufficiens, suoque modo Efficax. Cujus tamen operationibus Temporarii resistunt, Act. 7. 51. Vid. Cap. 2. §. 12. p. 41. Terra sepe venientem super se bibens imbre, & generans herbam, opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; profrens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicta proxima: Cujus consummatio in combustionem. Hebr. 6. 7. 8.

1623v *Subjectum Quod sunt Homines adulti per Verbum Vocati. Luc. 8, 5. 6. Subjectum Quo est Anima & quidem respectu φωτισμοῦ s. Illuminationis, & Assensus, Intellectus; respectu Fiduciae, aliarumque emotionum, Voluntas. Quod clarè docetur Hebr. 6, 4. 5. 6. Ibi namque Apostolus Apostatarum crimen exaggeraturus, dicit (1.) eos fuisse illuminatos, ac proinde non qualem cunque sed sufficientem accepisse cognitionem Veritatis, eaque imbutos fuisse 2. Cor. 4, 6. Hebr. 10, 26. 32. (2.) gustasse donum cœlestis; quibus verbis non mera elibatio, vel labialis duntaxat degustatio, sed plenior perceptio Veritatis cœlestis significatur, ut patet ex Ps. 34, 9. *Gustate & videte bonum esse Dominum. Luc. 14, 24. Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* 1 Petr. 2, 3. *Siquidem gustassis quod suavis Dominus.* (3.) *Participes factos esse Spiritus S.*, quod non Charismatum extraordinariorum collationem, indicat; hoc enim parum ad exaggerandum crimen deficientium fecisset; sed saltem aliquam cordis s. voluntatis pulsationem, & dispositionem, & initialem Regenerationem & Sanctificationem, significabit. (4) *gustasse bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi*, h. e. promissa vitæ æternæ eorumque dulcedinem, admisisse, sibique applicasse. Et quia tantoru beneficiorum participes facti fuerant, inde concludit Apostolus, illos tam fœdè prolapsos, rursus renovari non posse ad pœnitentiam. Cujus rei rationem affert v. 7. 8. Qualis explicatio hujus loci, nisi admittatur, Apostolus hos deficientes potius excusaret, quam tam graviter accusaret. Eadem dicuntur Hebr. 10, 26. seq. Similis locus extat 2. Petr. 2, 20. 21. *Si refugientes coquinationes mundi, in cognitione Domini nos seruimus.**

*ſtri 3. C. his rursus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſte-
riora deteriora prioribus: Melius enim erat illis, non cognoscere
viam iuſtitia, quam poſt agnitionem retrorsum converti ab eo,
quod illis traditum eſt Sancto mandato. Ad quem locum tan-
tum notamq; hos temporarios ratione Intellectus ſuffi-
cienter cognoviffe doctrinam Domini nostri J. C. &
ratione Voluntatis, effugiffe inquinamenta mundi.
Ipſe locus Clasificus Luc. 8, 13. ubi Temporarii dicun-
tur auditum Verbum cum gaudio recipere, perſuadet, ſub-
iectum Inhaeſionis hujus Fidei non ſolum Intellectum
eſſe, ſed & Voluntatem. it. Marc. 6, 20. exemplum He-
rodis, qui Johannem libenter audiebat, & reverebatur,
item multa faciebat. Nec non exempla, Achabii Reg. 21,
27. 28. 29. Jehu 2 Reg. 10, 30. 31. Divitis Marc. 10, 21. quo-
rum ſanè actiones incommode ad ſolum Intellectum
referrentur.*

§. VIII.

*Motiva Temporiorum ſunt Commoda propria,
unde ſibi terrenam & cœleſtem felicitatem exoprant.
ſc. Amore ſui plenus eſt Temporarij, atq; hic amor cor
ejus occupat, quâ de cauſâ cor ejus terræ petroſae
comparatur; cum Rubenitis & Gadditis Num 32, 5.
cis Jordanem commode habitare, ac tandem, ſed ſero,
in cœlum proficiſci & cœli etiam gaudiis, in cumulū
felicitatis, frui cupid. Unde Christo & Apoſtolis ex
mundo eum evocanti, Matt. 6, 19. Nolite theſaurizare vo-
bis theſtauros in terra, v. 24. Non potestis Deo ſervire & Mam-
mona. c. 16, 24. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemet-
ipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Rom. 12, 2.
Nolite conforſmari huic ſeculo. I. Joh. 2, 15. Nolite diligere
mundum, neq; que in mundo ſunt; diſſimiliſ Abrahami
& Moſis, reſpondet: Luc. 14, 18. Viſtam emi, & neceſſe
habeo*

habeo exire & videre illam. v. 19. *Fuga boum emi quingz, &*
eo probare illa. v. 20. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.*
Luc. 19, 14. Nolumus hunc regnare super nos. Quibus in-
 dicat, se Deum & Mundum, Cœlum & Terram, Am-
 bitionem, & Humilitatem Christianam, Sapientiam
 terrenam & cœlestem, res non conciliabiles, conciliare & simul possidere velle. Unde non potest non
 alterutro excidere.

§. IX.

Objectum Fidei Temporariorum est totum DEI
Verbum, Inprimis Promissiones Evangelii, quod non
male expressit Owenus Epigr. lib. uno L. 4. n. 258.

Promittit nobis aliquid Sacra pagina? nostrum

Protinus hoc certa credimus esse Fide.

Exigit à nobis aliquid Sacra littera? durus

Sub nostram Sermo non cadit iste Fidem.

Christum etiam recipiunt, non tam ut Prophetam,
 quatenus voluntatem Dei proponit, & Abnegatio-
 nem nostri requirit; nec ut Regem, qui normam vi-
 tæ præscribit; sed ut Sacerdotem, qui pro peccatis
 hominum, adeoque & Temporariorum, satisfecit,
 pro iisque apud Patrem intercedit; seu quatenus æ-
 ternam felicitatem meruit.

§. X.

Forma igitur Fidei Temporariorum est Appre-
 hensio non quidem dubia; sed Fiducia evanida, adeo-
 que verius Præsumptio, & adhærentia partialis.

§. XI.

Finis à Deo intentus, est Salus æterna. Vid. Cap 2.
§. 14. p. 48. Finis per accidens, vel potius Eventus, est,
culpæ evitabili Temporariorum, damnatio æterna.
Hebr. 10, 38. Justus meq ex fide vivet: quod si subtraxerit se,
non

non placebit anima mea. Hebr. 6, 6. c. 10, 26. 2. Pet. 2, 20
21. 22.

§. XII.

Efectus Fidei Temporariorum sunt (1) *Agnitio Pec-
catorum* 1. Sam. 15, 24. 1. Reg. 21, 27. (2) *Dolor de Pecca-
to*, 1. Reg. 21, 27. (3) *Humiliatio coram Deo*, 1. Reg. 21, 27.
(4) *Intempestiva Conscientiarum tranquillatio*, Luc. 18, 11.
(6) *Sanctimoniam partialis*: Diligunt enim Deum sed non
ex toto corde. Vid. Perkinsi Armillam aur. c. 53 Hic
disimulandum non est, Patres, interque eos ipsum
Augustinum, Prosperum & Concilium Valentiniū, e-
tiam *Justificationem* Effectibus Fidei Temporariæ annu-
merare; Verum notandum, Patres illis locis plerum-
que verbum *Justificare*, pro *justum facere*, & nomen
Justificationis, pro *Infusione Justitiae* accipere; Atque
ita acceptā voce, nihil aliud docent, quam quod nos
hic docemus,

§. XIII.

Adjuncta sunt: (I) *Amissibilitas* s. *Negatio Perseve-
rantiae*. Matth. 13, 6. Luc. 8, 6. 13. Hebr. 6, 4 5. 6. 2 Petr.
2, 20. 21. atque hoc ipsum nomen Temporariorum in-
fert. Licet verò, lætis Ecclesiæ rebus non semper ab
agnita Veritate deficiant; Fides eorum tamen magis
magisque languescit, ac vitam & succum amittit. (II)
Negatio veræ Certitudinis de Salute; Cujuſ locum oc-
cupat *Præsumptio*, de qua vid. hic Cap. 2, § 17. p. 72. fin.
(III) *Differt ergò Fides Salvifica, à Fide Temporario-
rum* (1) *ratione Principii*; Temporariæ enim Fidei Prin-
cipium est Gratia Dei Universalis; Salvificæ verò est
Gratia Dei Specialis, quâ Temporarii evitabili suâ
culpâ carent. (2) *ratione Subiecti*: quod in Fide Tem-
poraria est Cor petrosum, h. e. amore Mundi impe-
ditum

ditum, non attentâ Gratia Dei intellectum illuminante, & cor pulsante ; Salvificæ autem Subiectum est terra bona, i. e. cor ex gratia Dei bene dispositum. (3) ratione *Formæ* : Fides Salvifica consistit in adhærentia totali; Temporariorum autem in partiali. (4) ratione *modi Radicationis* : quamvis enim in Fide Temporariorum respectu Intellectus Sufficiens adsit cognitio Veritatis, nonnunquam major, quam in multis Electis Math. 7, 22. respectu Voluntatis tamen, semen Verbi Dei, non tam altè ac profundè admissum & radicatum est, ut in Perseverantibus, cuius rei causa est Petra cordis, h. e. Amor Mundi, & Conservatiōnis sui. (5) ratione *Effectuum* : Fides Tempor. habet Effectus s. præc. allatos; Salvifica autem præterea Justificationem, s. Remissionem peccatorum, Sanctificationem solidam & Glorificationem. (6.) ratione *Attributorum* : Fides Salvifica perseverat, ac stat⁹ sui & futuræ salutis, dicto modo, certa est; Temporaria verò deficit, vel languescit ; & examine sui vel neglecto, vel illegitimè instituto salutem sibi promittit, deq; eā præsumit , quam suo vitio non consequetur ! DEUS Auctor & Consummator Fidei, salvificam Fidem, per Verbum in nobis accensam, augeat & conservet, ad Nominis sui Gloriam & animarum nostrarum Salutem, quæ est Fidei

F I N I S.

CORRIGENDUM

P.19. L. 25 post *Verba* : rei ignotæ assentiamur *adde sed ideo* propositioni alicui assentiamur

Mg 3818

X 2368842



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-167898-p0094-4

DFG

B.I.G.



DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
F I D E,
Quam

IN ALMA VIADRINA

Aspirante Summo Numine,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPALE AC DOMINO,

DN. CAROLO FRIDERICO,

DUCE WURTEMBERGIAE, TECCIAE, ET IN SILESIA OELS-
NÆ, COMITE MONTISBELGARDI, DYNASTA HEI-
DENHEIMII, STERNBERGÆ, ET MEDZI-
BORÆ, &c. &c.

P R A E S I D E

DN. BARTH. HOLTZFUSS,

SS. THEOL. DOCT. & PROF. ORDIN.

Fautore ac Praeceptore suo ad Cineres usq; colendo,

D. XIII. Novembr. An. M DCC IV.

Placido Eruditorum Examini sifit

WILHELMUS HERMANNUS GRAVIUS,

SS. Theol. Cultor, Bütavienfis.

*****:*****:*****:*****:*****:*****:

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.